DE

SIMILITUDINIBUS IMAGINIBUSQUE

OVIDIANIS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM VINDOBONENSIUM ORDINE
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

IOANNES ANDREAS WASHIETL.

VINDOBONAE
SUMPTIBUS ET TYPIS CAROLI GEROLDI FILII
MDCCCLXXXIII.

CAROLO SCHENKELIO

EMMANUELI HOFFMANNO

GUILELMO AB HARTELIO

SACRUM.

VITA.

Natus sum **Ioannes Andreas Washietl** a. d. III. Cal. Febr. a. MDCCCLVIII. Leipnikii in Moraviae oppido patre Andrea, matre Theresia, quos adhuc vivere admodum laetor. fidem profiteor catholicam. primis litterarum elementis a patre ipso imbutus primum gymnasium Stokerauense per triennium frequentavi, postea, cum pater Vindobonam migrasset, et ipse in hanc urbem transductus gymnasium, quod in suburbio Leopoldino floret ab A. Pokornyo prudentissime gubernatum, adii et lustro peracto ibi maturitatis quod dicitur testimonio sum instructus.

Iam a. MDCCCLXXVII. a C. Wernero, tum rectore, universitatis litterarum Vindobonensis civibus adscriptus philologiae et philosophiae studiis per octo deinceps vacavi semestria et docentes audivi professores illustrissimos: Emmanuelem Hoffmann, Guilelmum Hartel, Carolum Schenkl, Theodorum Gomperz, Friedericum Mueller, Ottonem Hirschfeld, Michaelem Gitlbauer, Robertum Zimmermann, Theodorum Vogt, Franciscum Brentano. tertio studiorum meorum anno in sodalium seminarii philologi numerum receptus virorum summorum, E. Hoffmanni, G. Hartelii, C. Schenkelii benevolentia, per quattuor seme-

stria omnem operam impendi, ut muneri suscepto, quantum in me virium esset, sufficerem. praeterea per primum et secundum semestre Zimmermanni exercitationibus philosophis interfui, quas magno mihi fructui fuisse grato animo profiteor.

His igitur viris omnibus, qui et consiliis et opera studia mea foverunt, pium gratumque semper praestabo animum: in primis autem Carolo Schenkelio, magistro carissimo, qui ut plurima alia in me contulit beneficia, ita huius opusculi conficiendi auctor mihi fuit, quantas animus meus capere potest, hoc loco mihi agere liceat gratias.

Scripsi Vindobonae Id. Iun. a. MDCCCLXXXIII.

Cum de rationibus, quas in comparationibus adhibendis Homerus, Vergilius aliique secuti sunt, peculiaribus libellis expositum sit, quos hoc loco enumerare supersedeo, a nemine dum, quo modo Ovidius hanc provinciam administraverit, explicatum esse sane mireris. et tamen digna certe haec res esse videtur, in quam accuratius inquiratur. etenim quo maior est in Ovidio facultas ac virtus poetica, eo maiorem in carminibus eius comparationum numerum inveniri facile conicias easque tales, ut cum eis, quae in ceterorum poetarum carminibus leguntur, collatae tamen sua venustate ac suo nitore commendentur. adde quod hac quaestione instituta ad Ovidii artem cognoscendam atque aestimandam et ad locos complures in carminibus Ovidianis interpretandos haud exiguum fructum redundaturum esse sponte intellegitur. quae cum ita essent, a Carolo Schenkelio, praeceptore dilectissimo, monitus iam animo confirmato hoc opus adgressus maximum in id impendi laborem, ut muneri suscepto, quatenus vires meae suppetebant, aliqua certe ex parte satisfacerem.

Sed priusquam ad rem ipsam accedam, commemorandum esse videtur me in comparationis notione constituenda ea, quae G. Gerberus in libro, qui inscribitur 'Die Sprache als Kunst' II 107 sqq. exposuit, secutum esse. is enim in ea re explicanda viam unice veram ingressus est Aristotelis definitionem [1]) amplexus. quam ob rem de eis tantum imaginibus vel similitudinibus, quae proprie comparationes dicuntur, in hoc opusculo mentionem feci: nullam rationem habui earum similitudinum, quae ad sententiam aliquam explicandam atque comprobandam adiunctae potius, quam cum rebus ipsis coniunctae in carminibus Ovidianis leguntur,

---

[1]) de art. rhet. III 4.

quales sunt: Epist. IV 89 sqq.; Am. I 2, 10 sqq.; 8, 51 sq.; II 1, 23 sqq.; 9, 19 sqq.; 12, 17 sqq.; 19, 27 sqq.; III 4, 12 sqq.; A. A. I 19 sqq.; 45 sqq.; 449 sqq.; 471 sqq.; II 113 sqq.; 145 sqq.; 179 sqq.; 481 sqq.; III 249 sqq.; 397 sqq.; Rem. 369 sq.; Med. fac. 3 sqq.; Trist. I 1, 74 sqq.; 2, 4 sqq.; 5, 27 sq.; 9, 5 sqq.; II 266 sqq.; III 4, 17 sqq.; 5, 31 sqq.; 11, 21 sq.; IV 3, 63 sqq.; 6, 29 sqq.; 8, 17 sqq.; V 2, 11 sqq.; 12, 23 sqq.; ex P. I 3, 16 sqq.; 35 sqq.; 4, 9 sqq.; 6, 27 sqq.; II 2, 31 sqq.; 3, 37 sqq.; 7, 7 sqq.; III 2, 11 sqq.; 5, 15 sqq. nec magis respexi dissimilitudines (ἀνομοιώσεις), quae potius amplificandis atque confirmandis quam illustrandis atque ornandis inserviunt rebus et sententiis, veluti ut unum proponam exemplum, Am. II 16, 41 sq.:

ulmus amat vitim, vitis non deserit ulmum:
separor a domina cur ego saepe mea?

eius modi dissimilitudines in Ovidii poematis his inveni locis: Am. I 10, 27 sqq.; 61 sq.; 15, 31 sqq.; II 14, 35 sqq.; A. A. I 277 sqq.; III 77 sqq.; ex P. III 3, 41 sqq.; IV 10, 5 sqq. denique superlationes (ὑπερβολάς) me recte neglexisse non est quod pluribus verbis exponam. cuius figurae ex Ovidio haec collegi exempla: Epist. V 29 sqq.; XII 85 sqq.; XV 153 sq.; Am. I 6, 35 sqq.; II 17, 31 sqq.; A. A. I 271 sqq.; 401 sqq.; Met. XIII 324 sqq.; Trist. I 5, 11 sqq.; IV 7, 11 sqq.; V 13, 21 sqq.; ex P. I 6, 49 sqq.; II 4, 25 sqq.; 7, 25 sqq.; 8, 65 sqq.; 11, 5 sqq.; III 3, 95 sqq.; IV 5, 41 sqq.; 6, 45 sqq.; 12, 33 sqq.

His igitur praemissis, iam qui sit comparationum numerus in Ovidii carminibus, explicandum esse videtur. qua re instituta ea, quae supra diximus de Ovidii ingenio et arte, egregie confirmari adparet. nam in versibus 33485 (tot enim versus omnibus continentur carminibus) comparationes inveniuntur 558. unde iam quanto opere Ovidius ea re ceteros poetas superet, facile intellegitur. etenim Homeri Ilias, quae versus 15600 complectitur, 202 exhibet similitudines, Odyssia, quae 10912 versibus continetur, tantum 50, ita ut in Homeri versibus 26512 similitudines 252 legantur. Apollonius Rhodius, qui in carmine suo concinnando grammaticorum Alexandrinorum praecepta secutus est, comparationibus 77 in versibus 5833 propositis vicit Homerum, sed longe inferior est Ovidio. Vergilius denique (nam de ceteris poetis accuratius exponere non huius loci esse puto) multo

parcior est Ovidio in similitudinibus adhibendis, quippe qui in versibus 9896 tantum 105 imagines protulerit. sed quanta fuerit in Ovidio ingenii poetici vena, intelleges Metamorphoseon libris XV solis inspectis, qui, cum 11993 complectantur versus, 255 exhibeant comparationes, unde Ovidium in hoc opere eundem fere imaginum numerum, quae in Homeri Iliade et Odyssia leguntur, adhibuisse colligitur.

Ad singula vero Ovidii carminum genera si nos convertimus, inveniemus Heroides, si detraxeris epistulam Sapphus et eam partem epistulae Cydippes, quae est inde a v. 13, continere versus 3411, in quibus 46[2]) reperiuntur similitudines. qui numerus respondet fere ei, qui in Amorum libris deprehenditur, quippe qui in 2456 versibus 38[3]) exhibeant imagines. contra multo largior est numerus similitudinum in libris Artis Amatoriae. quamquam enim hi libri 2330 tantummodo complectuntur versus, tamen in eis plures extant imagines, dico 59[4]). in libro denique Remediorum amoris, quo 814 continentur versus, 7[5]) sese offerunt imagines ita, ut, si omnes numeros, qui ad carmina amatoria pertinent, computes, versus eficiantur 9011, similitudines 150. maxima autem similitudinum imaginumque copia praecellunt Metamorphoseon libri XV, quippe qui — id quod iam supra significavi — in 11993 versibus 255[6]) exhibeant similitudines.

---

[2]) Cf. Epist. I 22; II 137 sq.; III 133; IV 21 sq., 47, 166; V 47, 109, 111; VI 97, 109; VII 1, 23, (24), 52; VIII 9, 62; IX 29; X 1, 32, 48, 50, 138, 139; XI 9, 75 sq.; XII 34; XIII 33, 52; XIV 39 sq.; XV 249 sqq., 366; ep. XVI nullam continet similitudinem; XVII 7, 71, 108, 134, 166, 181 sq.; XVIII 96; XIX 55.

[3]) Cf. Am. I 6, 62; 7, 43, 52, 54 sqq., 58; 8, 50; 12, 11; 14, 6 sq., 11, 21, 23, 31 sq.; II 4, 8; 5, 35 sqq.; 6, 15; 9, 29 sq.; 10, 9; 11, 48; 16, 45; 19, 26. III 3, 9; 5, 11 sq.; 7, 8, 66; 9, 25; 11, 36, 47; 14, 42.

[4]) Cf. A. A. I 57 sqq.; 93 sq.; 117 sq.; 254; 312; 360; 374; 553 sq.; 620; 757; 761. II 66; 299; 309; 373 sqq.; 439; 517 sqq.; 658; 722. III 62; 106; 143; 148; 149 sq.; 162; 175; 177; 179; 181; 182; 185; 290; 364; 504; 555; 573 sq.; 703 sqq.; 710; 786.

[5]) Cf. Rem. 141 sq.; 492; 593; 692; 731.

[6]) Cf. Met. I 200; 405; 420; 422; 464; 483; 492 sq.; 499; 502; 505 sq.; 533; 555; 567; 695; 708. II 163; 184; 229; 321; 360; 501; 623; 716; 722; 727; 808; 810; 825; 856. III 44; 54; 78; 79; 111; 183; 209; 240; 373; 419; 421 sq.; 483 sq.; 487 sq.; 568; 661; 682; 685; 704; 729. IV 122;

multo parcior imaginum numerus deprehenditur in Fastorum libris, in quibus 4972 versus 27 [7]) illustrantur imaginibus. pari fere modo similitudines distribuuntur in carmina in exilio conscripta. nam Tristium libri V, qui 3532 continentur versibus, 66 [8]) exhibent similitudines et epistularum ex Ponto libri IV, qui 3198 comprehendunt versus, 52 [9]) habent imagines. denique Ibis 646 versus et septem [10]) imagines, Halieuticon fragmentum 133 versus et unam imaginem [11]) praebet. ergo si omnes numeros computas, summa versuum Ovidianorum est 33485, numerus similitudinum imaginumque 558.

Sed tenendum est numerum locorum, quibus hae omnes similitudines imaginesque Ovidianae dispersae sunt, multo minorem esse quam numerum ipsarum imaginum. etenim Ovidius in similitudinum usu a reliquis poetis vel maxime eo quoque differt, quod imagines coacervavit ita, ut hac in re a nullo alio

---

134; 135; 178; 331 sq.; 348; 354 sq.; 362 sqq.; 375; 440; 518; 622; 675; 706; 709; 714; 722. V 6; 122; 158; 164; 389; 570; 605; 626 sq. VI 21; 47; 63; 182; 231; 443; 452; 456 sq.; 516; 527 sq.; 559; 636; 673; 717. VII 79; 106 sq.; 125; 258; 387; 585 sq.; 770; 777 sq. VIII 79; 135; 162; 191; 213; 285; (286 sq.); 339; 355; 357; 378; 470; 695; 762; 835 sq. IX 40; 46; 56; 78; 89; 170; 205; 218; 220; 266; 641; 659 sqq.; 783. X 190; 211; 284; 372; 508; 515; 536; 588; 595; 733. XI 12; 24; 25; 73; 330; 334; 417; 503; 508; 510; 525; 534; 538; 553; 554; 614 sq.; 701; 734; 771 sq. XII 50 sq.; 102; 124 sq.; 225; 248; 274; 276; 402; 436; 480 sq.; 487; 520; 592. XIII 366 sq.; 540; 547; 602; 789—807; 813; 818; 845; 851 sq.; 858; 871. XIV 183; 207; 429; 711; 712 sq.; 768; 778; 794; 795; 825. XV 169; 180; 201; 222; 231; 303 sq.; 466; 509; 603 sq.

[7]) Cf. Fast. I 215; 493. II 109; 131; 209; 219; 231; 291; 341; 346; 568; 775; 799; 814; 820. III 481; 555; 583; 646. IV 303; 457; 459; 482. V 8; 360; 696. VI 149.

[8]) Cf. Trist. I 1, 100; 2, 48; 3, 26; 4, 7, 13; 5, 25, 47 sq., 53; 6, 5, 9, 11; 7, 17; 9, 11; 11, 20, 34. II 40; 83; 149; 215; 325. III 1, 45; 2, 20; 6, 29; 8, 21, 29, 35; 10, 47; 11, 11 sq.; 14, 11, 13. IV 1, 31, 41, 55 sqq., 79; 5, 4; 8, 1; 10, 107. V 1, 11, 31 sqq.; 2, 23 sqq.; 4, 16, 30; 6, 37 sqq.; 7, 46; 8, 29; 9, 27 sq.; 10, 4, 19.

[9]) Cf. ex P. I 1, 68, 69 sq.; 2, 20, 41, 58; 3, 5, 10; 9, 36; 10, 28. II 1, 9, 13; 3, 21, 89; 5, 37 sq., 50; 7, 39, 43 sq. III 3, 19, 102; 4, 32, 33, 49; 9, 23, 26. IV 1, 29 sqq.; 2, 17; 3, 33 sq.; 7, 24, 34, 52; 8, 75; 13, 11; 14, 13 sq., 45, 57; 15, 7 sqq., 15 sqq.

[10]) Cf. Ib. 44; 47; 197 sqq.; 419; 466.

[11]) Cf. Hal. 97.

poeta antecedente superetur. cum enim apud Homerum 8 tantummodo reperias similitudinum coacervationes, apud Apollonium Rhodium 5, apud Vergilium 12, mirum in modum Ovidius 43 locis imagines geminavit et quattuordecies unam eandemque rem ternis illustravit imaginibus, quinquies quinis, quater quaternis. quid quod poeta iustum modum sine dubio excessit, cum numerum malorum, quae in exilio perpessus est, Trist. V 2, 23 sqq. sex Trist. IV 1, 55 sqq. septem imaginibus illustravit.

His breviter expositis iam ad quaestionem tractandam de fontibus, ex quibus Ovidius similitudines suas hausit, me accingam. qua in re hac ingrediar via, ut simul materiarum ipsarum et poetarum, quorum vestigia pressit Ovidius, rationem habeam. facile autem patet eum modum mihi in comparationibus enumerandis amplectendum esse, ut et ab animalibus initium faciam ac deinde ad res inanimatas transeam et poetarum primo loco Homerum commemorem, huic ceteros, quos ante oculos habuisse videtur Ovidius, poetas subiungam.

Homerum igitur quanti fecerit Ovidius quamque studiose eius carmina lectitaverit, ipse compluribus locis exponit. nam ut taceam eum adulescentulum, cum in Graeciam profectus esset, Ilium regionesque carminibus Homeri celebrata adiisse[12]), si quando de poetis vel de arte poetica verba facit, semper Homerum summa cum veneratione nominat atque eius carmina eximiis laudibus prosequitur[13]). unde iam Ovidium ex hoc fonte perenni, ex quo omnes poetae Romani atque in primis Vergilius quam plurima hauserunt, etiam in comparationibus concinnandis atque exornandis hortulos suos irrigavisse nullo negotio intellegitur.

Initium autem faciam ab loco, in quo luculentum Homeri imitationis exemplum conspicitur. in Metamorphoseon enim l. XI v. 71 sqq. narrat poeta, quemadmodum mulieres Thraciae, quae

---

[12]) Fast. VI 417 sqq.

[13]) Am. I 8, 61; III 9, 25 sq.; A. A. II 279 sq.; III 413 sq.; Rem. 365 sq.; Fast. II. 119 sq.; Trist. I 1, 47 sq.; 6, 21 sq.; ex P. III 9, 23 sq.; IV 2, 21 sq.

caedi Orphei interfuerunt, in arbores mutatae sint. quae res a Nasone hac illustratur similitudine:

utque suum laqueis, quos callidus abdidit auceps,
crus ubi commisit volucris sensitque teneri,
plangitur ac trepidans astringit vincula motu:
sic, ut quaeque solo defixa cohaeserat harum,
exsternata fugam frustra temptabat.

deprompsit hanc imaginem ex Od. χ 468 sqq., ubi ancillae a Telemacho de rudente suspensae cum turdis vel columbis laqueo irretitis comparantur:

ὡς δ' ὅτ' ἂν ἢ κίχλαι τανυσίπτεροι ἠὲ πέλειαι
ἕρκει ἐνιπλήξωσι, τό θ' ἑστήκῃ ἐνὶ θάμνῳ,
αὖλιν ἐσιέμεναι, στυγερὸς δ' ὑπεδέξατο κοῖτος,
ὣς αἵγ' ἑξείης κεφαλὰς ἔχον, ἀμφὶ δὲ πάσαις
δειρῇσι βρόχοι ἦσαν, ὅπως οἴκτιστα θάνοιεν.
ἤσπαιρον δὲ πόδεσσι μίνυνθά περ οὔτι μάλα δήν.

ab editoribus quidem haec imitatio non commemoratur, quamquam res est aperta. nam non solum medium, quod dicunt, comparationis in uno eodemque momento positum est, sed etiam singulae res, quibus imagines apud utrumque poetam ornantur, tam similes sunt, ut vix quemquam hunc Homeri locum melius imitari potuisse contendas. quis enim non videt Ovidium verbis 'quos callidus abdidit auceps' illud Homericum τό θ' ἑστήκῃ ἐνὶ θάμνῳ adumbravisse? enuntiatum autem 'sensitque teneri, plangitur ac trepidans astringit vincula motu', etsi de ave dictum est, tamen respondet Homeri versui ἤσπαιρον δὲ πόδεσσι μίνυνθά περ οὔτι μάλα δήν.

Comitantur autem Ovidium eadem in imitatione Sophocles, qui eandem Homeri similitudinem expressisse videtur in fragm. 395: κάτω κρέμανται σπίζα τέως ἐν ἕρκεσιν et Euripides, cum Bacch. 957 sq. de Bacchis, quas Veneri deditas in fruticeto se deprehensurum sperat, haecce dicentem faciat Pentheum: καὶ μὴν δοκῶ σφᾶς ἐν λόχμαις ὄρνιθας ὣς λέκτρων ἔχεσθαι φιλτάτοις ἐν ἕρκεσιν.

Aliam imaginem ex universo avium genere petitam habes in eiusdem libri Met. v. 24 sq. mulieres enim Orpheum interfecturae manibus sanguinolentis in vatem vertuntur et coeunt:

ut aves, si quando luce vagantem
noctis avem cernunt.

similis imago legitur Il. ρ 755 sqq., ubi Achivi fugientes cum avibus componuntur, quae accipitrem conspicientes quam celerrime avolant:

τῶν δ', ὥστε ψαρῶν νέφος ἔρχεται ἠὲ κολοιῶν,
οὖλον κεκλήγοντες, ὅτε προΐδωσιν ἰόντα
κίρκον, ὅ τε σμικρῇσι φόνον φέρει ὀρνίθεσσιν.

ut autem Ovidius hanc imaginem ex universo avium genere petitam in Orphei fabula illustrandi causa adhiberet, excitatus esse videtur Vergilii exemplo, apud quem in eadem Orphei fabula eiusdem generis imago sese offert Georg. IV 473 sq., quo loco numerus umbrarum, quae Orphei cantu alliciuntur, avium imagine illustratur vesperi vel imbre premente in foliis se condentium.

Sed transeamus ad similitudines ex singulis avibus depromptas, quibus in recensendis iam initio nobis apertissima ac manifestissima statuenda est imitatio. describitur enim Il. μ 200 sqq. augurium Troianis superveniens, quod et Vergilius et Ovidius varie in similitudinis usum receperunt. itaque Homeri locum huc pertinentem integrum exscribere mihi liceat. sunt enim versus hi:

ὄρνις γάρ σφιν ἐπῆλθε περησέμεναι μεμαῶσιν,
αἰετὸς ὑψιπέτης ἐπ' ἀριστερὰ λαὸν ἐέργων,
φοινήεντα δράκοντα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον
ζωόν, ἔτ' ἀσπαίροντα· καὶ οὔπω λήθετο χάρμης.
κόψε γὰρ αὐτὸν ἔχοντα κατὰ στῆθος παρὰ δειρὴν
ἰδνωθεὶς ὀπίσω· ὁ δ' ἀπὸ ἕθεν ἧκε χαμᾶζε
ἀλγήσας ὀδύνῃσι, μέσῳ δ' ἐνὶ κάββαλ' ὁμίλῳ,
αὐτὸς δὲ κλάγξας πέτετο πνοιῇς ἀνέμοιο.

hanc descriptionem pugnae aquilae cum dracone Vergilius Aen. XI 751 sqq. ita variavit, ut aquilam vincentem fecerit. Venulus enim in pugna a Tarchone de equo detractus et abreptus omnibus viribus se defendit:

utque volans alte raptum cum fulva draconem
fert aquila inplicuitque pedes atque unguibus haesit,
saucius at serpens sinuosa volumina versat
arrectisque horret squamis et sibilat ore,
arduos insurgens: illa haut minus urget obunco
luctantem rostro, simul aethera verberat alis.

Ovidius idem Homeri augurium respiciens duas excogitavit imagines, quarum in una aquila draconem vincit, in altera a dracone

vincitur. Perseus enim, postquam a Cepheo et Cassiopia pactus est, ut ei filiam, quam saxo adligatam atque beluae obiectam vidit, matrimonio cederent, praecipiti volatu per aëra in dorsum beluae irruit:

utque Jovis praepes, vacuo cum vidit in arvo
praebentem Phoebo liventia terga draconem,
occupat aversum, neu saeva retorqueat ora,
squamigeris avidos figit cervicibus ungues.

cf. Met. IV 714 sqq. altera similitudo extat in eiusdem libri v. 362 sqq., ubi Salmacis amore capta Hermaphroditum reluctantem et diffugere studentem implicat:

ut serpens, quam regia sustinet ales
sublimemque rapit: pendens caput illa pedesque
adligat et cauda spatiantes inplicat alas.

cuius imitationis quae sunt peculiaria significare omitto, quoniam, quatenus uterque poeta Homerum secutus sit, versibus inter se collatis sponte adparet. illud tantummodo mihi addere liceat Ovidii imagines in uno eodemque libro sese excipere, qua re ipsa imitationis fidem vel maxime augeri nemo non videt.

Non minus magnam vim in Vergilii et Ovidii mentes exercuisse contendo eam Homeri imaginem, ex qua Il. ρ 674 sqq. Menelaus in pugna circumspicit:

ὥστ' αἰετός, ὅν ῥά τέ φασιν
ὀξύτατον δέρκεσθαι ὑπουρανίων πετεηνῶν,
ὅν τε καὶ ὑψόθ' ἐόντα πόδας ταχὺς οὐκ ἔλαθε πτὼξ
θάμνῳ ὑπ' ἀμφικόμῳ κατακείμενος, ἀλλά τ' ἐπ' αὐτῷ
ἔσσυτο, καί τέ μιν ὦκα λαβὼν ἐξείλετο θυμόν.

itemque Il. χ 308 sqq. Hectoris impetus in hostes irruentis imagine illustratur ab aquila alte volante petita, quae per nubes obscuras descendit in campum vel agnam teneram vel pavidum leporem raptura.

Vergilius has duas imagines Homericas Aen. IX 563 sq. respiciens ab auctore suo eo deflexit, quod Turni regis Rutulorum virtutem similitudine depinxit, ex qua aquila aut leporem aut cycnum pedibus aduncis abreptum in aëra tollens exhibetur:

qualis ubi aut leporem aut candenti corpore cycnum
sustulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis.

hanc igitur imaginem Maro neutiquam eo consilio adhibuit, ut, quemadmodum impetus factus esset, describeret, sed impetu iam

peracto, qua ratione Turnus Lycum de muro detraxerit, aquila rapto lepore alta petente depingitur.

Ovidius eandem imaginem Met. VI 516 sqq. variavit ita, ut, cum poetae antecedentes aquilam impetum facientem sive capta praeda alta petentem fecissent, ipse eandem volucrem praedam iam in alto nido depositam spectantem fingeret. Tereus enim, postquam Philomela navi imposita est, terra relicta triumphat:

non aliter, quam cum pedibus praedator obuncis
deposuit nido leporem Jovis ales in alto:
nulla fuga est capto, spectat sua praemia raptor.

quas similitudines a singulis poetis varie institutas perlustranti cui non liquet, qua ratione ea, quam Ovidius praebet, imago exorta sit? nempe habemus tres variationes imaginis ab aquila rapiente petitae, primum aquilam impetum facientem, deinde aquilam rapta praeda alta petentem, denique aquilam praedam in alto nido depositam spectantem, ex quibus primam imaginem ab Homero, alteram a Vergilio, tertiam ab Ovidio usurpatam videmus.

Sequitur, ut de eis similitudinibus pauca disputemus, quas poetae e condicione, quae intercedit inter accipitrem et columbas, petierunt. quibus in imaginibus recensendis omnes locos huc pertinentes adscribere non operae pretium mihi esse videtur, quia singulorum poetarum imagines neutiquam tam manifestam prae se ferunt similitudinem, ut unum alterum secutum esse conicias. itaque eos tantum locos perlustrare mihi in animo est, qui maiore quadam cognatione inter sese conexi sunt.

Ac primum quidem apud Homerum Il. χ 139 sqq. accipiter ita inducitur, ut celeritate eius, qua columbam venatur, Aiacis impetus Hectorem petentis significetur:

ἠΰτε κίρκος ὄρεσφιν, ἐλαφρότατος πετεηνῶν,
ῥηϊδίως οἴμησε μετὰ τρήρωνα πέλειαν·
ἡ δέ θ' ὕπαιθα φοβεῖται, ὁ δ' ἐγγύθεν ὀξὺ λεληκὼς
ταρφέ' ἐπαΐσσει, ἑλέειν τέ ἑ θυμὸς ἀνώγει.

eadem imago simili ratione instituta extat Il. π 582 sq., quo loco Patroclus vehementi dolore ob socium interfectum affectus per propugnatores prorumpens accipitri confertur veloci, qui prosequitur monedulas et sturnos fugatos. itemque celeritatis crudelitatisque illustrandae causa eandem imaginem, ex qua accipiter

aves invalidas timidasque, in primis columbas venatur, usurpatam videmus Il. ν 62 sqq. et ο 237 sq., quorum priore loco poeta Neptunum abeuntem accipitri confert, qui e praerupta petra excelsa levatus per planitiem avem alius generis insequi properat, posteriore autem Apollo de Idaeis montibus descendens eidem avi, quae est celerrima omnium volucrum, similis dicitur.

His ex similitudinibus in primis eam priore loco positam ante oculos habuisse videtur Vergilius, cum Aen. XI 721 sqq. accipitrem columbam consequentem et crudeliter necantem inducit, ut singulare illud Camillae factum illustret, quae perfidum Auni filium persequitur et comprehensum necat:

quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto
consequitur pinnis sublimem in nube columbam
comprensamque tenet pedibusque eviscerat uncis:
tum cruor et volsae labuntur ab aethere plumae.

cuius imaginis extrema pars magnam habet similitudinem cum Homeri augurio, quod extat Od. ο 525 sqq.:

ὣς ἄρα οἱ εἰπόντι ἐπέπτατο δεξιὸς ὄρνις,
κίρκος, Ἀπόλλωνος ταχὺς ἄγγελος· ἐν δὲ πόδεσσιν
τίλλε πέλειαν ἔχων, κατὰ δὲ πτερὰ χεῦεν ἔραζε.

Horatius quoque eandem praebet imaginem ex accipitris natura petitam C. I 37, 17 sq., quo Romanos evocat, ut laetitiam capiant ex morte Cleopatrae, quam Caesar remis adurguens persecutus sit:

. . . . *accipiter velut*
molles columbas . . . .

Ovidius denique Met. V 604 sqq. hanc imaginem una cum ea, quae e timidissima columbae indole petita est, usurpavit. in decima enim fabula huius libri poeta Arethusam Cereri narrantem facit, quemadmodum in fontem mutata sit. qua in narratione nympha has usurpat imagines:

sic ego currebam, sic me ferus ille premebat,
ut fugere accipitrem penna trepidante columbae,
ut solet accipiter trepidas agitare columbas.

Similitudines de columbarum genere sumptae aliis quoque locis ab Ovidio ad imbecillitatem pavoremque adumbrandum adhibentur, veluti Met. I 506, VI 529, Trist. I 1, 75. A. A. I 117. cuius imaginis usus originem poeta mihi duxisse videtur ab Homero,

apud quem nomen columbae τρήρων sollemne esse nemo nescit. cf. quoque imaginem Il. φ 493 et auguria, quae describuntur Od. ο 525, et υ 242. in transcursu tantummodo commemorare mihi liceat Apollonium Rhodium Arg. I 1049, III 540, et Vergilium Aen. II 516, V 213, in eodem imaginum genere ad columbas pertinentium usurpando multo accuratius Homeri vestigia pressisse, id quod de Ovidii similitudinibus huius generis adfirmari non potest.

Imagines a lusciniae natura desumptas perlustrantes si omnes una eademque ratione institutas esse videmus, id minime nos miros habere debet. namque hanc imaginum illarum similitudinem sine dubio ex communi vulgi opinione, unde fabula de Philomela et Procne fluxit, profectam esse statuendum est. quae res vel maxime probatur eo, quód omnes fere poetas potius fabulae illius de Procne divulgatae meminisse quam avis dulcissimo cantu commotos esse videmus. itaque ab omnibus poetis luscinia amissos suos pullos querens inducitur veluti ab Homero in Od. τ 518 sqq., quo loco primo eius modi comparatio invenitur. Penelopa enim animo fluctuans, utrum in filii domo remaneat an alicui nubat, lamentatur:

ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη, χλωρηῒς Ἀηδών,
καλὸν ἀείδῃσιν ἔαρος νέον ἱσταμένοιο,
δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν,
ἥτε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνήν,
παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον, ὅν ποτε χαλκῷ
κτεῖνε δι' ἀφραδίας, κοῦρον Ζήθοιο ἄνακτος.

Catullus eadem imagine in carm. LXV, quo fratris sui mortem deflevit, usus est. 'semper' inquit v. 12:

maesta tua carmina morte canam,
qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias absumpti fata gemens Itylei.

Vergilius Georg. IV 511 sqq. lamentabili lusciniae cantu, quae pullos implumes a duro aratore nido detractos queritur, lugubres illos Orphei cantus illustrat, quibus vates Eurydicen iterum amissam deflevit:

qualis populea maerens philomela sub umbra
amissos queritur fetus, quos durus arator
observans nido inplumis detraxit: at illa
flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
integrat, et maestis late loca questibus implet.

qua in similitudine conscribenda Maroni etiam Homeri imago Od. π 216 sqq. obversata esse videtur, quia ibi quoque pulli implumes ab aratore rapti commemorantur, quibus orbatae parentes lamentabilem cantum emittunt, quocum questus Ulixis eiusque filii, qui sese invicem agnoverant, comparantur.

Ovidius autem eandem imaginem commodissime adhibuisse putandus est Fast. IV 481 sq., quo loco ea Cererem filiam amissam querentem atque deflentem illustravit:

quacumque ingreditur, miseris loca cuncta querellis
implet, ut amissum cum gemit ales Ityn.

quo loco collato cum Vergilii imagine supra adlata, sponte adparet Ovidii verba 'miseris loca cuncta querellis' tam prope accedere ad Vergilii versum 'maestis late loca questibus implet', ut, licet haec verba de ave, illa de Cerere dicta sint, Nasonem tamen illius poetae imaginem ante oculos habuisse iure contendi queat.

Avium imaginibus, quatenus ad Homeri carmina revocari possunt, recensitis iam ad eas progrediamur similitudines, quae ad quadrupedes pertinent. e quibus primo loco tigris nominanda est, quam Ovidius bis in similitudinibus induxit, Met. V 164 sqq. et VI 636 sq.; ex quibus alterum locum, quippe qui pusillam quidem, verum tamen haud neglegendam praebeat similitudinem cum Homeri imagine quadam, hic breviter tractare liceat. Procne enim, cum coniugis libidinem casumque germanae comperisset, scelus scelere ultura filium Ityn interimere constituit. qui cum matris collo brachia parva admovisset eique puerilibus adulationibus oscula dedisset, mota est genetrix atque oculi maduere lacrimis obortis. postquam autem ea rursus oculos ad sororis stupratae faciem deflexit, nova ira succensa atque furens:

traxit Ityn, veluti Gangetica cervae
lactentem fetum per silvas tigris opacas.

cui loco similis quodam modo imago a leonibus sumpta extat apud Homerum Il. ν 198 sqq., ubi duo Aiaces bellatores Imbrium alte tenentes atque trahentes conferuntur cum duobus leonibus, qui capream canibus ereptam ferunt per densa virgulta:

ὥστε δύ' αἶγα λέοντε κυνῶν ὕπο καρχαροδόντων
ἁρπάξαντε φέρητον ἀνὰ ῥωπήϊα πυκνά,
ὑψοῦ ὑπὲρ γαίης μετὰ γαμφηλῇσιν ἔχοντε.

Certioribus vestigiis imitatio Ovidiana in eis deprehenditur imaginibus, in quibus leo ad fortitudinem ac ferocitatem illustrandam inducitur. sic poeta in maris procella describenda fluctus, qui ventis conflictantibus proruunt et feruntur adversus navis armenta, comparat cum saevis leonibus, qui auctis in cursu viribus ruere consuerunt pectore in arma et venabula opposita, Met. XI 510 sq.:

utque solent, sumptis in cursu viribus ire
pectore in arma feri protentaque tela leones.

qui versus prope accedunt ad Vergilii imaginem Aen. IX 551 sqq., ubi Helenoris audacia ac fortitudo similitudine de fera sumpta exornatur, quae frustra a venatorum telis se defendens tandem venabula proiecta transilit et certam mortem oppetit:

ut fera, quae densa venantum saepta corona
contra tela furit seseque haut nescia morti
inicit et saltu supra venabula fertur,
haut aliter iuvenis medios moriturus in hostis
inruit et, qua tela videt densissima, tendit.

quem locum integrum ideo potissimum exscripsi, quia Ovidium verbis 'ire pectore in arma protentaque tela' hoc Vergilii enuntiatum 'contra tela furit' et 'qua tela videt densissima, tendit' expressisse manifesto adparet.

Vergilius autem imaginem suam ad Homeri exemplum conformasse videtur, qui Il. μ 41 sqq. Hectorem agmina obeuntem sociosque fossam transcendere adhortantem confert cum apro sive leone, cuius generosum cor numquam pavet neque fugam capessit:

ὡς δ' ὅτ' ἂν ἔν τε κύνεσσι καὶ ἀνδράσι θηρευτῇσιν
κάπριος ἠὲ λέων στρέφεται σθένεϊ βλεμεαίνων·
οἱ δέ τε πυργηδὸν σφέας αὐτοὺς ἀρτύναντες
ἀντίοι ἵστανται καὶ ἀκοντίζουσι θαμειὰς
αἰχμὰς ἐκ χειρῶν· τοῦ δ' οὔποτε κυδάλιμον κῆρ
ταρβεῖ οὐδὲ φοβεῖται, ἀγηνορίη δέ μιν ἔκτα·
ταρφέα τε στρέφεται στίχας ἀνδρῶν πειρητίζων.

praeter hunc locum apte quoque comparantur Homeri similitudines, quae extant in eiusdem libri v. 299 sqq. et Il. υ 164 sqq.

Altera leonis imago Ovidiana etsi simplicissima atque brevissima est, tamen adeo congruit cum Homeri similitudine quadam, ut imitatio in legentium oculos sponte incurrat. Homerus

enim Od. ι 292 sq. Cyclopem Ulixis socios devorantem hac illustrat similitudine:

> ἤσθιε δ' ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, οὐδ' ἀπέλειπεν,
> ἔγκατά τε σάρκας τε καὶ ὀστέα μυελόεντα.

eandem imaginem de Cyclope Ulixis socios devorante usurpavit Ovidius Met. XIV 207 sqq.:

> *cum super ipse iacens hirsuti more leonis*
> *visceraque et carnes cumque albis ossa medullis*
> *semianimesque artus avidam condebat in alvum.*

quibus in imaginibus omnes partes ad verbum fere inter sese respondent. ne quis autem opinetur Ovidium verbis 'carnes avidam condebat in alvum' Homeri verbum ἤσθιε speciosius reddere voluisse, conferat Od. ι 296 sq.:

> αὐτὰρ ἐπεὶ Κύκλωψ μεγάλην ἐμπλήσατο νηδύν,
> ἀνδρόμεα κρέ' ἔδων . . .

haec enim verba Nasonem ante oculos habuisse in propatulo est.

Tertia leonis imago Ovidiana nobis occurrit Fast. II 209 sq., ubi poeta Fabiorum pugnam cum Tyrrhenis describit. illi enim gladiis nudatis feruntur per turbam Tyrrhenam strenuo Marte:

> *non aliter, quam cum Libyca de rupe leones*
> *invadunt sparsos lata per arva greges.*

qua in similitudine conscribenda poetae in mentem venisse suspicor Il. π 352 sqq., ubi Danai in Troianos vehementi impetu irruentes conferuntur cum lupis in agnos irruentibus, αἳ ἐν ὄρεσσιν ποιμένος ἀφραδίῃσι διέτμαγεν. praeterea conferatis quoque Homeri imaginem, quae extat Il. ε 554 sq.

Magis memor fuisse videtur Ovidius eius loci, quo Homerus Pelei filium Patrocli mortem querentem gemitusque edentem facit Il. σ 318 sqq.:

> ὥστε λὶς ἠϋγένειος,
> ᾧ ῥά θ' ὑπὸ σκύμνους ἐλαφηβόλος ἁρπάσῃ ἀνὴρ
> ὕλης ἐκ πυκινῆς· ὁ δέ τ' ἄχνυται ὕστερος ἐλθών,
> πολλὰ δέ τ' ἄγκε' ἐπῆλθε μετ' ἀνέρος ἴχνι' ἐρευνῶν,
> εἴ ποθεν ἐξεύροι· μάλα γὰρ δριμὺς χόλος αἱρεῖ.

nam Met. XIII 547 sq. idque multo aptius Hecubam filii mortem ulturam confert cum leaena furente catulo lactante orbata, quae vestigiis pedum cognitis sequitur hostem:

> *utque furit catulo lactente orbata leaena*
> *signaque nacta pedum sequitur, quem non videt, hostem.*

Luporum genus rapax, qua est ferocitate sanguinisque cupiditate, poetis aptissimam suppeditavit materiem rabiei crudelitatisque illustrandae. cuius rei praeclarum extat exemplum Il. χ 262 sqq., quo loco vates Achillem Hectori, qui cum illo foedus icere volt, dicentem facit:

ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά,
οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν,
ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν,
ὥς οὐκ ἔστ' ἐμὲ καὶ σὲ φιλήμεναι.[14])

quem locum respiciens Ovidius Ibin v. 43 sq. sic adloquitur:

pax erit haec nobis, donec mihi vita manebit,
cum pecore infirmo quae solet esse lupis.

sed spectare potuit Naso etiam Horatium, cuius epod. 4 sic incohatur:

lupis et agnis quanta sortito obtigit,
tecum mihi discordiast.

in reliquis autem similitudinibus e luporum indole petitis quamquam Ovidius poetas antecedentes neutiquam ad amussim imitatus est, tamen imaginum illarum ratio similis est ei, qua eiusdem generis similitudines apud Homerum aliosque poetas institutas esse videmus. sic Met. XIV 778 sqq. Sabinorum impetus nocturnus in urbem hac illustratur similitudine:

inde sati Curibus tacitorum more luporum
ore premunt voces et corpora victa sopore
invadunt portasque petunt.

qua in re Ovidius sine dubio ante oculos habuit Verg. Aen. II 355 sqq., ubi Aeneas narrat se suosque socios similiter ac lupos, qui per atras nebulas praedam rapiant, nocte per tela et hostes profectos esse:

inde lupi ceu
raptores atra in nebula, quos inproba ventris
exegit caecos rabies, catulique relicti
faucibus expectant siccis, per tela, per hostes
vadimus haud dubiam in mortem, mediaeque tenemus
urbis iter: nox atra cava circumvolat umbra.

cuius imaginis extremus versus congruit cum Ovidii verbis 'tacitorum more luporum ore premunt voces', utpote cum utrubique impetus nocturnus describatur.

---

[14]) unde λυκοφιλία apud Graecos in proverbium abiit; cf. Plat. epist. 3.

Vergilius autem mihi pendere videtur ex Homero, qui Il λ 72 sq. et δ 471 sq. Troianos et Achivos pugnantes lupis confert invicem irruentibus.

Altera eiusdem generis imaginis forma apud Ovidium ea est, qua lupus incustoditum ovile captans vel circumiens describitur. sic Trist. I 6, 9 sq., poeta uxoris fidem et industriam laudat, quippe quae quendam, qui ceu lupus vorax et avidus sanguinis ovili minus custodito insidians in bona ipsius fuerit involaturus, per amicos fideles submoveat:

utque rapax stimulante fame cupidusque cruoris
incustoditum captat ovile lupus.

persimiliter ex P. I 2, 20. exul poeta propria mala ingemiscens atque exponens narrat hostes moenia lustrare:

more lupi clausas circumeuntis oves.

Hae ambae imagines apte referri possunt ad Vergilii Aen. IX 59 sq., ubi Turnus confertur cum lupo ovili insidiante et ad caulas fremente:

ac veluti pleno lupus insidiatus ovili
quom fremit ad caulas . . .

ipsius autem Vergilii imago rursus ad Homerum redire videtur, qui Il. π 352 sqq. haec habet:

ὡς δὲ λύκοι ἄρνεσσιν ἐπέχραον ἢ ἐρίφοισιν
σίνται, ὑπὲκ μήλων αἱρούμενοι, αἵ τ' ἐν ὄρεσσιν
ποιμένος ἀφραδίῃσι διέτμαγεν· οἱ δὲ ἰδόντες
αἶψα διαρπάζουσιν ἀνάλκιδα θυμὸν ἐχούσας.

itemque huc referendum esse puto locum Il. κ 485 sq., ubi leo commemoratur incustoditis superveniens pecudibus eodem modo, quo Trist. I 6, 9 sq. legitur 'incustoditum ovile'.

Apte quoque cum his similitudinibus e luporum indole petitis comparabuntur eae imagines Ovidianae, in quibus non tam lupus quam agnus primarium locum obtinet, ita tamen, ut poeta has descriptiones iisdem exornaverit coloribus, cf. Met. V6 26 sq., Fast. II 799 sq., Trist. III 11, 12., A. A. I 118.

Tertia denique eiusdem imaginis forma instituta est ita, ut lupus ovem rapiens vel trahens exhibeatur. veluti Trist. IV 1, 79 sq. exul poeta mala, quae perpetitur in Scythia, enumerans narrat hostem, si quem per agros crate portarum non tectum invenerit, eum trahere sicuti avidum lupum ovem, quae se non

receperit in ovile, rapientem atque per segetes et per nemora auferentem. quae imago ad Homeri locum Il. ν 198 sqq. iam supra tractatum conformata esse videtur, ubi Aiaces Imbrium alte tenentes atque trahentes conferuntur cum leonibus, qui capream canibus ereptam ferunt per densa virgulta. eodem spectat Vergilius, cum Aen. IX 565 sq. lupo, qui agnum a stabulis rapit, descripto Turni virtutem ostendat, qui Lycum de moenibus detrahit et interficit.

Sed iam de eis agamus similitudinibus, quae ad aprum furentem pertinent. quibus in recensendis hoc in primis observetis velim aprum omnibus locis simul cum canibus, persaepe etiam cum venatoribus exhiberi, ita quidem, ut omnes poetas venationis imaginem ante oculos habuisse nobis censendum sit. sic Il. λ 324 sq. Diomedes et Ulixes cum duobus apris in canes venaticos irruentibus conferuntur, Il. ν 471 sqq. Idomeneus cum apro, qui fortiter impetum virorum advenientium excipit, denique Il. λ 414 sqq. Ulixis virtus Troianorum impetum sustinentis eadem apri imagine illustratur, in quem ex alto fruticeto prodeuntem dentesque acuentem undique canes et iuvenes feruntur. Homerum manifesto secutus est Apollonius, quippe qui Arg. III 1350 sqq. Iasonem certaminis cupidine similem fuisse narret apro dentes in venatores acuenti. porro Vergilius Homerum aemulatus est, cum huius imaginis colores et imitari studuerit et alia ornamenta adiecerit Aen. X 707 sqq., ubi Mezentii virtus, qua hic impavidus pluribus resistit Troianis, apri similitudine illustratur, qui canibus de altis montibus actus in retia illapsus subsistit et dentibus infrendens hastas eminus missas tergo decutit. Ovidius denique Met. IV 722 sq. Persei pugnam cum maris belua compluribus similitudinibus exornans hac quoque ex apri indole deprompta imagine utitur. belua enim gravi vulnere laesa modo se sublimis in auras attollit:

modo subdit aquis, modo more ferocis
versat apri, quem turba canum circumsona terret.

quocum loco praeter Homeri imagines supra propositas aptissime comparabitur similitudo, quae extat Il. μ 41 sq. Hector enim ad naves Troianorum turbini par pugnat:

ὡς δ' ὅτ' ἂν ἔν τε κύνεσσι καὶ ἀνδράσι θηρευτῇσιν
κάπριος ἠὲ λέων στρέφεται σθένεϊ βλεμεαίνων.

qua in imitatione Ovidium illud στρέφεται verbo 'versat' reddidisse neminem fugiet.

Altera Ovidii imago ex apro petita reperitur Fast. II 231 sqq., ubi poeta interitum Fabiorum hunc in modum celebravit:

sicut aper longe silvis Laurentibus actus
fulmineo celeres dissipat ore canes,
mox tamen ipse perit, sic non moriuntur inulti.

quem ad locum proprius accedit similitudo Il. μ 146 sqq., ex qua Danai ante portas pugnantes similes esse dicuntur apris agrestibus, qui impetum virorum et canum excipiunt, donec aliquis iaculando eis vitam eripiat:

ἀγροτέροισι σύεσσιν ἐοικότε, τώτ' ἐν ὄρεσσιν
ἀνδρῶν ἠδὲ κυνῶν δέχαται κολοσυρτὸν ἰόντα,
δοχμώ τ' ἀΐσσοντε περὶ σφίσιν ἄγνυτον ὕλην,
πρυμνὴν ἐκτάμνοντες, ὕπαὶ δέ τε κόμπος ὀδόντων
γίγνεται, εἰσόκε τίς τε βαλὼν ἐκ θυμὸν ἕληται·

cuius imaginis extrema verba Ovidius variavit verbis 'mox tamen ipse perit'.

Tertia denique imagine ex apri natura petita Ovidius feminae furorem paelice deprensa A. A. II 373 sq. sic illustrat:

sed neque fulvus aper media tam saevus in ira est,
fulmineo rabidos cum rotat ore canes.

Sed progrediamur ad similitudines a tauro eiusque natura desumptas, ex quibus in primis ea, quae extat Met. XI 334 sqq. ex Homeri loco orginem suam ducere videtur. Daedaelion enim, cum filiam a Diana interemptam iam arsuram in rogo vidisset, quater conatus est sese inmittere in ignes; quater inde prohibitus in fugam vertit concita membra:

similisque iuvenco
spicula crabronum pressa cervice gerenti,
qua via nulla, ruit.

similiter Homerus Od. χ 299 sqq. de procis locutus est:

οἱ δ' ἐφέβοντο κατὰ μέγαρον βόες ὣς ἀγελαῖαι·
τὰς μέν τ' αἰόλος οἶστρος ἐφορμηθεὶς ἐδόνησεν
ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τ' ἤματα μακρὰ πέλονται.

hac ex imagine Homerica Apollonius duas excogitavit similitudines, quarum in una Hercules furens cum tauro asilo icto confertur, in altera autem Amor per liquidum aëra veniens cum aspero oestro, qui iuniora invadit armenta, componitur, cf. Arg. I 1265 sqq. et III 276 sq. idem autem Ovidium fecisse

adparet in altera Homeri imagine Il. ρ 520 sqq. ex ratione, qua, taurus mactari solet, petita, utpote cum Naso hac ex similitudine duas imagines effinxerit. sed iam ipsos Homeri versus adscribamus:

ὡς δ' ὅτ' ἂν ὀξὺν ἔχων πέλεκυν αἰζήϊος ἀνήρ,
κόψας ἐξόπιθεν κεράων βοὸς ἀγραύλοιο,
ἶνα τάμῃ διὰ πᾶσαν, ὁ δὲ προθορὼν ἐρίπησιν,
ὣς ἄρ' ὅ γε προθορὼν πέσεν ὕπτιος·

cuius loci maxime memorem sese praebet Ovidius Met. V 120 sqq. Pettalum a saevo Lycorma interfectum atque in terram concidentem sic illustrans:

raptaque de dextro robusta repagula posti
ossibus inlisit mediae cervicis: at ille
procubuit terrae mactati more iuvenci.

Met. XII 248 sq. autem describit, quemadmodum Amycus Ophionides ex sacrario candelabrum lampadibus coruscis instructum sustulerit alteque sublatum miserit in frontem Celadontis Lapithae:

veluti qui candida tauri
rumpere sacrifica molitur colla securi.

His expositis iam commemoranda est similitudo, quae apud Homerum et Ovidium solos reperitur. Od. ε 432 sqq. enim describitur, quemadmodum Ulixem vehemens fluctus terrae alliserit, aestus autem rursus longe in mare reiecerit. qua in re Ulixi in saxa eiecto cutis detracta est rupe, sicuti polypi e receptaculo erepti membris calculi adhaerent:

ὡς δ' ὅτε πουλύποδος θαλάμης ἐξελκομένοιο
πρὸς κοτυληδονόφιν πυκιναὶ λάϊγγες ἔχονται,
ὣς τοῦ πρὸς πέτρῃσι θρασειάων ἀπὸ χειρῶν
ῥινοὶ ἀπέδρυφθεν· τὸν δὲ μέγα κῦμα κάλυψεν.

eandem effigiem Ovidius adaptavit rei illustrandae Met. IV 366 sq., ubi Salmacis Hermaphroditum reluctantem et diffugere volentem implicat:

utque sub aequoribus deprensum polypus hostem
continet, ex omni dimissis parte flagellis.

Sed ut iam accedam ad eas imagines, quae ad singula pertinent insecta, primum quidem apertissima statuenda est imitatio a nemine dum commemorata. in celeberrima enim fabula de Martis et Veneris amoribus, quam Homerus Od. θ 279 sqq. Demodocum cantantem fecit, hanc legimus similitudinem:

πολλὰ δὲ καὶ καθύπερθε μελαθρόφιν ἐξεκέχυντο,
ἠΰτ' ἀράχνια λεπτά, τάγ' οὔ κέ τις οὐδὲ ἴδοιτο,
οὐδὲ θεῶν μακάρων· πέρι γὰρ δολόεντα τέτυκτο.

Eundem mythum Ovidius Leuconoen narrantem facit Met. IV 176 sqq., qua in re eadem legitur imago simili ratione instituta:

extemplo graciles ex aere catenas
retiaque et laqueos, quae lumina fallere possent,
elimat: non illud opus tenuissima vincant
stamina, non summo quae pendet aranea tigno.

quibus imaginibus inter se collatis, cui non apertum est illa Homeri τάγ' οὔ κέ τις οὐδὲ ἴδοιτο, οὐδὲ θεῶν Ovidium excitavisse, ut ipsam imaginem sic induceret: 'non illud opus tenuissima vincant stamina, non summo quae pendet aranea tigno'? quod autem Naso hunc mythum feminam narrantem fecit, sine dubio Vergilii spectavit auctoritatem, qui Georg. IV 345 sqq. haec habet:

inter quas curam Clymene narrabat inanem
Volcani, Martisque dolos et dulcia furta,
aque Chao densos divom numerabat amores.

denique commemorabo similitudinem ab aranea depromptam alio quoque loco apud Ovidium inveniri, dico Am. I 14, 7 sq., ubi Naso puellam, cui nimia cura comae exciderunt, consolans huius capillos filis similes fuisse scribit, quae aranea deducit pede exili, cum tenue opus implicat sub tigno deserto.

Superest, ut unam tantum similitudinem ex animalibus petitam percenseam, cuius fundum Homerus iecit loco illo Il. β 87 sqq., ubi Achivorum multitudo apibus depingitur, quae e cava petra ingentibus agminibus provenientes in racemi modum coniunctae volant super floribus vernis:

ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων,
πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων·
βοτρυδὸν δὲ πέτονται ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν·
αἱ μέν τ' ἔνθα ἅλις πεποτήαται, αἱ δέ τε ἔνθα.

Quod ad exemplum Apollonius Arg. I 879 sqq. suam conformavit imaginem, qua Lemniae Argonautis abitum parantibus queribundae circumfundi dicuntur singulos manibus et verbis salutantes sicut apes, quae e rupe effusae circum lilia pulchra strepunt:

ὡς δ' ὅτε λείρια καλὰ περιβρομέουσι μέλισσαι
πέτρης ἐκχύμεναι σιμβλήϊδος, ἀμφὶ δὲ λειμὼν
ἑρσήεις γάνυται, καὶ δὲ γλυκὺν ἄλλοτε ἄλλον
καρπὸν ἀμέργουσιν πεποτημέναι.

Apud Vergilium eadem imago ex apium natura petita tribus locis nobis occurrit, quorum uno quoque poeta ea ad aliam rem illustrandam usus est. etenim Aen. I 430 sqq. Tyriorum industria, qua Carthaginem urbem condunt, confertur apium sedulitati, quas nova aestate per florea rura sub sole labor exercet. altero loco Aen. VI 707 sqq. Maro apium agmina profert serena aestate ad mel parandum in campos evolantium, quibus ingens umbrarum copia illustratur, quam circum amnem Lethaeum volantem invenit Aeneas:

ac velut in pratis ubi apes aestate serena
floribus insidunt variis et candida circum
lilia funduntur, strepit omnis murmure campus.

tertiam denique imaginem Vergilius Aen. XII 587 sqq. Apollonium Arg. II 130 sqq. imitatus ex apibus fumo sopitis deprompsit.

Ovidius autem apium imaginibus tamquam iocose utitur, ut puellarum frequentiam, quae ad ludos celebres festinant, ostendat, A. A. I 93 sqq.:

ut redit itque frequens longum formica per agmen,
granifero solitum cum vehit ore cibum,
aut ut apes saltusque suos et olentia nactae
pascua per flores et thyma summa volant,
sic ruit in celebres cultissima femina ludos.

qua occasione simul prioris imaginis Ovidianae fontem detegere licet. hanc enim similitudinem formicas spectantem Naso sine dubio Vergilio debet, quippe qui Aen. IV 402 sqq. industriam, qua socii Aeneae ea parant, quae opus sunt, ut quam celerrime Africa relicta ad Italiam perveniant, hunc in modum exornet:

ac velut ingentem formicae farris acervom
cum populant hiemis memores tectoque reponunt:
it nigrum campis agmen praedamque per herbas
convectant calle angusto, pars grandia trudunt
obnixae frumenta umeris, pars agmina cogunt
castigantque moras, opere omnis semita fervet.

Ipsius Maronis autem imago aperte redit ad Apollonium, qui Arg. IV 1450 sq. haec habet:

ὡς δ' ὁπότε στεινὴν περὶ χηραμὸν εἱλίσσονται
γειομόροι μύρμηκες ὁμιλαδόν.

Sed redeamus ad Ovidium, qui similitudinem ex apibus petitam etiam Trist. V 6, 38 ad multitudinem illustrandam

adhibuit, ubi poeta exul queritur tantam turbam malorum se circumstare:

florida quam multas Hybla tuetur apes.

itemque A. A. II 517 dolores in amore tot esse per iocum adfirmat:

quot apes pascuntur in Hybla;

cf. quoque A. A. III 150.

Iam vero imagines singulas plantas spectantes examinemus atque ante omnia similitudinem quandam de arbore deprômptam, in qua, quo modo Ovidii imago exorta sit, clare conspicitur. Homerus enim Il. δ 482 sqq. Anthemionis filium ab Aiace percussum atque in terram decidentem confert populo, quam curruum fabricator ferro micanti excidit, ut ex ea incurvata rotam conficiat. itemque Il. π 482 sqq. Sarpedon Patrocli telo percussus concidit:

ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν ἢ ἀχερωΐς,
ἠὲ πίτυς βλωθρή, τήντ' οὔρεσι τέκτονες ἄνδρες
ἐξέταμον πελέκεσσι νεήκεσι νήϊον εἶναι·

has Homeri imagines Apollonius bis imitatus est, Arg. I 1003 sqq. et IV 1680 sqq., quorum altero loco poeta Alexandrinus ab exemplo suo eo leviter recedit, quod piceam securibus acutis semicaesam exhibet, quae noctu ventorum ictu primum concutitur, tum autem radicitus eversa concidit:

ἀλλ' ὥς τίς τ' ἐν ὄρεσσι πελωρίη ὑψόθι πεύκη,
τήν τε θοοῖς πελέκεσσιν ἔθ' ἡμιπλῆγα λιπόντες
ὑλοτόμοι δρυμοῖο κατήλυθον· ἡ δ' ὑπὸ νυκτὶ
ῥιπῇσιν μὲν πρῶτα τινάσσεται, ὕστερον αὖτε
πρυμνόθεν ἐξεαγεῖσα κατήριπεν·

huius quoque loci praeter Homeri imagines supra tractatas recordatus esse videtur Vergilius, cum Aen. II 626 sqq. interitum urbis Troiae, quae decimo demum anno a Graecis capta est, orno illustrat, quae ferro accisa iam casura est nutatque, donec supremum congemiscens trahat ruinam:

ac veluti summis antiquam in montibus ornum
cum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
eruere agricolae certatim: illa usque minatur
et tremefacta comam concusso vertice nutat,
volneribus donec paulatim evicta supremum
congemuit traxitque iugis avolsa ruinam.

quem locum si comparaveris cum eis, quae Met. X 371 sqq. legimus:

et modo desperat, modo vult temptare, pudetque
et cupit, et, quid agat, non invenit. utque securi
saucia trabs ingens, ubi plaga novissima restat,
quo cadat, in dubio est omnique a parte timetur:
sic animus vario labefactus vulnere nutat
huc levis atque illuc momentaque sumit utroque.

dubium esse nequit, quin Ovidius illam Vergilii imaginem in usum suum converterit. ȧdparet vero Nasonem aliud quid de arbore ad illustrandum sumpsisse quam poetas antecedentes. nam cum Apollonius et Vergilius Homerum secuti in verbo cadendi medium, quod vocant, comparationis posuerint, apud Ovidium, quippe qui in primis colores, quibus illi suas imagines exornaverunt, respexerit, in verbo 'nutu' cardo vertitur totius similitudinis.

Huic imagini adnectere placet complures similitudines e foliis vel frondibus petitas, quas multitudinis illustrandae causa adhibuit Ovidius veluti Met. XI 615; A. A. III 162; Ib. 195. huc quoque referendae sunt imagines, in quibus flores ingenti copiae indicandae inserviunt; cuius imaginis exempla habes Trist. IV 1, 57; A. A. III 185; Ib. 197. quibus in similitudinibus adhibendis iam praeiverunt Homerus Od. ι 51; Il. β 468, 800; et Apollonius Arg. IV 216, quos tamen locos, cum huius generis imagines usitatissimae sint et omnibus poetis omnium gentium communes, Ovidium neutiquam ante oculos habuisse vix ulla indiget admonitione.

Maxime delectati sunt poetae ea imagine, qua plerumque adulescentes, qui mortem obierunt, conferuntur cum floribus infractis. cuius effigiei fundus est locus Il. θ 306 sqq., ubi Gorgythio, filius Priami, Teucri sagitta vulneratus caput casside gravatum in alteram partem inclinat:

μήκων δ' ὡς ἑτέρωσε κάρη βάλεν, ἥτ' ἐνὶ κήπῳ,
καρπῷ βριθομένη νοτίῃσί τε εἰαρινῇσιν·
ὣς ἑτέρωσ' ἤμυσε κάρη πήληκι βαρυνθέν.

Huic imagini ad amussim fere respondent ea, quibus Apollonius mortem terrigenarum depinxit Arg. III 1398 sqq.:

ἔρνεά που τοίως, Διὸς ἄσπετον ὀμβρήσαντος,
φυταλιῇ νεόθρεπτα κατημύουσιν ἔραζε
κλασθέντα ῥίζηθεν, ἀλωήων πόνος ἀνδρῶν·
τὸν δὲ κατηφείη τε καὶ οὐλοὸν ἄλγος ἱκάνει
κλήρου σημαντῆρα φυτοτρόφον· ὣς τότ' ἄνακτος . . .

Eadem imagine pulcherrime usus est Catullus de amore suo amisso XI 21 sqq.:

nec meum respectet, ut ante, amorem,
qui illius culpa cecidit velut prati
ultimi flos, praetereunte postquam
tactus aratrost.

itemque huc spectat similitudo, quae extat LXII 39 sqq., quo carmine Sapphus epithalamium imitatus est Catullus:

ut flos in saeptis secretus nascitur hortis,
ignotus pecori, nullo convolsus aratro,
quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber
. . . .
multi illum pueri, multae optavere puellae:
idem cum tenui carptus defloruit ungui,
nulli illum pueri, nullae optavere puellae.

Vergilius eandem imaginem duobus locis usurpavit, Aen. IX 435 sqq., ubi Euryalus adulescens a Volscente vulneratus in terram concidit:

purpureus veluti cum flos succisus aratro
languescit moriens lassove papavera collo
demisere caput, pluvia cum forte gravantur.

et Aen. XI 68 sqq., quo loco eadem effigie Pallas depingitur interfectus, quem feretro frondibus variisque ramis ornato iuvenes imponunt:

qualem virgineo demessum pollice florem
seu mollis violae seu languentis hyacinthi,
cui neque fulgor adhuc nec dum sua forma recessit:
non iam mater alit tellus viresque ministrat.

Ovidius denique eadem imagine Hyacinthi mortem depinxit, quam ad rem poeta sine dubio ipso mytho, quo post Hyacinthi obitum huius cruor in florem eius nomine inscriptum cessisse fertur, ductus est, Met. X 190 sqq.:

ut si quis violas riguove papaver in horto
liliaque infringat fulvis haerentia linguis,
marcida demittant subito caput illa gravatum
nec se sustineant spectentque cacumine terram:
sic vultus moriens iacet etc.

Saepissime Ovidius in eis versatur imaginibus, quibus non animi sensus per se, sed ii corporis motus, quibus produntur, depicti sunt. itaque animus re inopinata perterritus similitudine

ex segetibus vel aristis aliisve plantis deprompta illustratur, quae, cum lenissima aura facile moveantur, optime illustrant homines subito terrore horrescentes. sic poeta epist. X 139 Ariadnen Theseo haec scribentem facit:

corpus ut inpulsae segetes Aquilonibus horret,

et epist. XIV 39 sqq. Hypermnestram Lynceo:

ut leni Zephyro fragiles vibrantur aristae,
frigida populeas ut quatit aura comas,
aut sic aut etiam tremui magis . . .

eadem similitudo nobis occurrit in fabula de Ariadne, quam Ovidius A. A. I 533 sqq. narrat. illa enim miro et inopinato Bacchi eiusque comitum adventu perterrita:

horruit, ut sterilis agitat quas ventus aristas,
ut levis in madida canna palude tremit;

cf. v. 553 sq. Qua cum imagine e plantis aura commotis petita persaepe etiam eam coniunctam videmus similitudinem, quae ad mare tenui aura tremefactum pertinet; veluti Canace Macareo epist. XI v. 75 sqq. haec scribit:

ut mare fit tremulum, tenui cum stringitur aura,
ut quatitur tepido fraxina virga noto:
sic mea vibrari pallentia membra videres.

itemque Am. I 7, 53 sqq. easdem coniunctas legimus similitudines:

exanimis artus et membra trementia vidi,
ut cum populeas ventilat aura comas:
ut leni Zephyro gracilis vibratur harundo,
summave cum tepido stringitur unda Noto.

Quas similitudines omnes ex Homero fluxisse contendo, apud quem Graecorum et Troianorum ordines, dum sedentes commoventur, cum undis Zephyro oriente excitatis conferuntur Il. η 63 sq.:

οἵη δὲ Ζεφύροιο ἐχεύατο πόντον ἔπι φρὶξ
ὀρνυμένοιο νέον, μελάνει δέ τε πόντος ὑπ' αὐτῆς,

et Il. β 144 sqq. contio commota ingentibus maris fluctibus confertur, quos Eurus Notusque excitavit, vel agro, cuius segetes Zephyro agitantur:

κινήθη δ' ἀγορὴ φὴ κύματα μακρὰ θαλάσσης
πόντου Ἰκαρίοιο, τὰ μέν τ' Εὖρός τε Νότος τε
ὤρορ' ἐπαΐξας πατρὸς Διὸς ἐκ νεφελάων.
ὡς δ' ὅτε κινήσῃ Ζέφυρος βαθὺ λήϊον ἐλθών,
λάβρος ἐπαιγίζων, ἐπί τ' ἠμύει ἀσταχύεσσιν . . .

Ceterum Ovidius etiam alteram maris imaginem fluctus ingentes spectantem, qua contio commota illustratur, in usum suum convertit Met. V 5 sqq., ubi Cephenum convivia in subitos tumultus mutata mari comparantur, quod tranquillum terribilis impetus ventorum turbat atque eruit undis agitatis:

inque repentinos convivia versa tumultus
adsimulare freto possis, quod saeva quietum
ventorum rabies motis exasperat undis.

Singularis imago apud Ovidium inde prodiit, quod unda post ventum vehementem subsidit quidem, sed tamen interdum intumescit. quacum maris natura poeta Sexti Tarquinii amorem Lucretiae comparat Fast. II 775 sqq.:

ut solet a magno fluctus languescere flatu,
sed tamen a vento, qui fuit, unda tumet:
sic, quamvis aberat placitae praesentia formae,
quem dederat praesens forma, manebat amor.

quocum loco nescio an contendi possit Vergilii similitudo Aen. VII 528 sqq., ubi hominum ingens numerus, qui cerva ab Ascanio vulnerata ira incensi undique accurrunt, cum undis maris magis magisque se attollentibus comparantur:

fluctus uti primo coepit cum albescere vento,
paulatim sese tollit mare et altius undas
erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo.

Ipse autem Vergilius mihi pendere videtur ex Homero, qui Il. δ 422 sqq. densas militum turbas ad pugnam properantes undis contulit Zephyro excitatis:

ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέϊ κῦμα θαλάσσης
ὄρνυτ' ἐπασσύτερον Ζεφύρου ὕπο κινήσαντος·
πόντῳ μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
χέρσῳ ῥηγνύμενον μεγάλα βρέμει, ἀμφὶ δέ τ' ἄκρας
κυρτὸν ἐὸν κορυφοῦται, ἀποπτύει δ' ἁλὸς ἄχνην.

Sed mittamus hos locos, de quibus fortasse ambigi potest, num aliqua cognatione inter sese coniuncti sint, et eas proferamus imagines e mari petitas, quibus Ovidius aliique poetae clangorem strepitumque expresserunt. cuius generis similitudines iam Homerus exhibet Il. ο 381 sqq. et ρ 263 sqq., quibus locis Troiani conclamant, ut mare ventis excitatum aestuat, et Il. β 394 sqq., ubi Argivi clamant sicut fluctus mugiunt ad litora, cum eos admoverit Notus ingruens scopulo procurrenti.

Praeter has imagines clangoris strepitusque vis et natura eis quoque similitudinibus aptissime significatur, quae e ventis silvam percrepantibus petitae sunt, veluti Il. ξ 394 sqq. Graecorum et Troianorum clamor maior fuisse dicitur quam maris in saxa sese illidentis strepitus aut ignis saltus absumentis aut denique venti sonitus per quercus frondosas strepentis:

οὔτε θαλάσσης κῦμα τόσον βοάᾳ ποτὶ χέρσον,
ποντόθεν ὀρνύμενον πνοιῇ Βορέω ἀλεγεινῇ·
οὔτε πυρὸς τόσσος γε πέλει βρόμος αἰθομένοιο
οὔρεος ἐν βήσσῃς, ὅτε τ' ὤρετο καιέμεν ὕλην·
οὔτ' ἄνεμος τόσσον γε ποτὶ δρυσὶν ὑψικόμοισιν
ἠπύει, ὅστε μάλιστα μέγα βρέμεται χαλεπαίνων,
ὅσση ἄρα Τρώων καὶ Ἀχαιῶν ἔπλετο φωνὴ
δεινὸν ἀϋσάντων, ὅτ' ἐπ' ἀλλήλοισιν ὄρουσαν.

quam imaginem manifesto respexit Vergilius Georg. IV 261 sqq., quo loco apes morbis quibusdam conflictatae tractim susurrare dicuntur:

frigidus ut quondam silvis inmurmurat Auster,
ut mare sollicitum stridit refluentibus undis,
aestuat ut clausis rapidus fornacibus ignis.

praeterea huc referendus est locus Aen. X 97 sqq., ubi poeta murmur in deorum consilio, quorum alii Veneri, alii Iunoni adsentiuntur, simile fuisse narrat venti strepitui in silva orientis. sed Lucretius quoque easdem praebet effigies VI 135 sq., quo loco poeta tonitrus originem sic fere explicat: videmus nubes quasdam, quae arborum ramosarum instar partes eminentes habent, huc illuc proiectas; quas si venti perflant, iam tonitru sequitur:

scilicet, ut, crebram silvam cum flamina cauri
perflant, dant sonitum frondes ramique fragorem.

quae tonitrus explicatio si cuiquam displiceat, paulo infra vv. 142 sqq. poeta aliam profert:

sunt etiam fluctus per nubila, qui quasi murmur
dant in frangendo graviter; quod item fit in altis
fluminibus magnoque mari, cum frangitur aestus.

quae maris descriptio congruere videtur cum ea Ovidii imagine ex maris natura deprompta, qua poeta populi murmura Met. XV 603 sqq. hunc in modum depinxit:

qualia succinctis, ubi trux insibilat eurus,
murmura pinetis fiunt, aut qualia fluctus
aequorei faciunt, si quis procul audiat illos.

Sed multo sagacius eandem effigiem de mari sonante Naso adhibuit Met. XII 50 sqq., ubi domus, quam Fama dea obtinet, elegantissime describitur. tota enim domus est ex aere acuto, tota fremit; ipsa autem dea reddit sonos repetitque quod audit. nulla quies intus, nullaque parte silentium neque tamen est clamor, sed parvae murmura vocis:

qualia de pelagi, si quis procul audiat, undis
esse solent, qualemve sonum, cum Iuppiter atras
increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.

denique non ab re erit hoc loco commemorare Catullum quoque in carm. LXIV 269 sqq. imaginem e maris natura depromptam exhibere, quae tamen nihil fere commune habet cum locis supra propositis, nisi quod sententia intercalaris 'leni resonant plangore cachinni' eodem modo murmura parvae vocis significat quam illud Ovidianum 'fluctus si quis procul audiat illos'.

Postquam de similitudinibus a mari desumptis disputavimus, iam imagines ad flumina pertinentes, quae in Ovidii carminibus inveniuntur, recenseamus atque, quatenus ad Homeri auctoritatem revocari queant, inquiramus. qua in re omnes fere poetae Homero inferiores memores sese praestiterunt earum imaginum, e quibus ille fluminum adcrescentium descriptione heroum fortiter pugnantium virtutem adumbravit. sic Il. λ 492 sqq. Aiax Troianos per campum insequitur, ut flumen inundans de montibus decurrit in campum Iovis imbre urgente, multas quercus aridas multasque larices secum rapiens multumque limum in mare proiciens. et Il. ε 87 sqq. Tydeus furibundus fertur per campum ποταμῷ πλήθοντι similis χειμάρρῳ,

ὅστ' ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφύρας·
τὸν δ' οὔτ' ἄρ τε γέφυραι ἐεργμέναι ἰσχανόωσιν,
οὔτ' ἄρα ἕρκεα ἴσχει ἀλωάων ἐριθηλέων,
ἐλθόντ' ἐξαπίνης, ὅτ' ἐπιβρίσῃ Διὸς ὄμβρος·
πολλὰ δ' ὑπ' αὐτοῦ ἔργα κατήριπε κάλ' αἰζηῶν.

Lucretius eandem effigiem exhibet I 281 sqq., ubi sententia illa, qua nihil e nihilo fieri et nihil in nihilum reverti adfirmat, argumentis sat speciosis comprobata dubitationes, quae huic opinioni obstare videntur, removere studet. 'ne quis' inquit 'argumentis meis adsentire recuset, quod rerum semina videre nequeat, observet corpora quaedam in rerum natura esse, quae tamen oculorum

aciem fugiant. sic venti e corporibus constare censendi sunt, licet ea oculis cerni non possint, quia illi maxima vi mare feriunt, magnas naves nubesque iactant, interdum vehementi impetu planitiem perflant arboresque deiciunt et omnino eodem modo feruntur:

ut cum mollis aquae fertur natura repente
flumine abundanti, quam largis imbribus auget
montibus ex altis magnus decursus aquai,
fragmina coniciens silvarum arbustaque tota,
nec validi possunt pontes venientis aquai
vim subitam tolerare: ita magno turbidus imbri
molibus incurrit, validis cum viribus, amnis,
dat sonitu magno stragem, volvitque sub undis
grandia saxa, ruitque ita quidquid fluctibus obstat.

Vel maxime vero Vergilii animo illas Homeri effigies de fluminibus adcrescentibus et torrentibus infixas fuisse inde adparet, quod huius generis imagines apud illum quidem frequentissimae sunt et proxime accedunt ad Homeri exempla supra proposita. sic Aen. II 305 sqq. Achivi Troiam captam ferro ignique vastant veluti:

rapidus montano flumine torrens
sternit agros, sternit sata laeta bovomque labores
praecipitesque trahit silvas . . .

et in eiusdem libri v. 496 sqq. violentia, qua Graeci in Priami domum irrumpunt primosque trucidant lateque loca militibus complent, hunc in modum illustratur:

non sic, aggeribus ruptis cum spumeus amnis
exit oppositasque evicit gurgite moles,
fertur in arva furens cumulo camposque per omnis
cum stabulis armenta trahit.

simili modo Aeneas et Turnus magno cum impetu per proelia ruentes Aen. XII 523 sqq. conferuntur cum amnibus spumosis, qui rapido cursu in campos decurrunt omniaque populantur. et Aen. X 603 sq. Aeneas furit more 'torrentis aquae et turbinis atri'.

Horatius quoque illius Homeri imaginis sine dubio recordatus est, cum C. IV 14, 20 sqq. maiorem Neronum celebrat; praeterea cf. Sat. I 7, 26 sq.

Sed iam ad Ovidium nos convertamus, qui Fast. II 219 sqq. Fabiorum pugnam cum Etruscis pluribus exornans imaginibus hanc quoque similitudinem de torrente usurpat, ut violentiam, qua illi in hostem ruentes vallem complent, ostendat:

ecce velut torrens undis pluvialibus auctus
aut nive, quae Zephyro victa repente fluit,
per sata perque vias fertur, nec, ut ante solebat,
riparum clausas margine finit aquas:
sic Fabii vallem latis discursibus implent.

ac satis commode poeta eandem imaginem Met. III 79 sq. adhibuit, ut draconis pugnandi rationem cum Cadmo illustraret. ille enim nonnumquam involvitur nodis circulum vastissimum describentibus, nunc surgit rectior tigno, nunc ruit:

impete nunc vasto ceu concitus imbribus amnis
fertur et obstantes proturbat pectore silvas.

in eodem libro vv. 568 sqq. narrat Ovidius, quanto furore Pentheus Bacchi orgia impugnaverit famulisque suis imperaverit, ut Liberum cultorem dei sacrorum vinctum in conspectum suum traherent. qua in re rabiem illius, qui consanguineorum hortatu violentior etiam fit et vesania correpta acuitur, aptissime hunc in modum descripsit poeta:

sic ego torrentem, qua nil obstabat eunti,
lenius et modico strepitu decurrere vidi:
at, quacumque trabes obstructaque saxa tenebant,
spumeus et fervens et ab obice saevior ibat.

denique huc spectat imago Am. I 7, 43 sq.:

denique si tumidi ritu torrentis agebar,
caecaque me praedam fecerat ira suam.

Imaginibus e maris fluminumque natura petitis statim eas adiungere placet similitudines, quae ad imbrem, grandinem, nivem pertinent. quarum ratio plerumque ita est instituta, ut multitudinis densitatisque notionem adumbrent atque illustrent, velut apud Homerum Il. μ 278 sqq. lapides crebri ex pugnantium manibus emissi conferuntur cum floccis nivalibus cadentibus; et in eodem libro 156 sqq. tela in hostes coniecta volant:

. . . νιφάδες δ' ὥς πῖπτον ἔραζε,
ἅστ' ἄνεμος ζαής, νέφεα σκιόεντα δονήσας,
ταρφειὰς κατέχευεν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ·

hanc similitudinem Apollonius Arg. II 1085 sqq. inepte ita variavit, ut densas pennas, quas aves volantes in Argonautas demiserunt, contulerit cum grandine densa a Iove nubibus emissa, cum tamen eandem rem multo melius illustrare potuerit imagine illa integra recepta:

ὡς δ' ὁπότε Κρονίδης πυκινὴν ἐφέηκε χάλαζαν
ἐκ νεφέων ἀνά τ' ἄστυ καὶ οἰκία, τοὶ δ' ὑπὸ τοῖσιν
ἐνναέται κόναβον τεγέων ὕπερ εἰσαΐοντες
ἧνται ἀκήν, ἐπεὶ οὔ σφε κατέλλαβε χείματος ὥρη
ἀπροφάτως, ἀλλὰ πρὶν ἐκαρτύναντο μέλαθρον·
ὣς πυκινὰ πτερὰ τοῖσιν ἐφίεσαν ἀΐσσοντες
ὕψι μάλ' ἂμ πέλαγος περάτης εἰς οὔρεα γαίης.

Ennius in eadem re imagine usus est ab imbre petita fr. 287 V.:

hastati spargunt hastas, fit ferreus imber.

quocum versu apte coniungi posse arbitror fr. 288:

densantur campis horrentia tela virorum,

et fr. 431:

undique conveniunt vel ut imber tela tribuno.

Vergilius imbrem et nivem et grandinem adhibuit ad copiam et densitatem significandam. sic Aen. IX 668 sqq. pugnam, qua exorta campus hastis et telis completur, his illustravit similitudinibus:

quantus ab occasu veniens pluvialibus Haedis
verberat imber humum, quam multa grandine nimbi
in vada praecipitant, cum Iuppiter horridus austris
torquet aquosam hiemem et caelo cava nubila rumpit.

praeterea commemorandi sunt loci Georg. IV 80 et 312 sq., quorum uno apium multitudo in atroci proelio cadentium cum grandine confertur, altero autem eaedem ex alveario evolare dicuntur, 'ut aestivis effusus nubibus imber'. denique nix in imagine inducitur, quae extat Aen. XI 611 sq., ubi tela ab Latinis et Troianis emissa 'nivis ritu' humi cecidisse narrantur.

Ovidium in eius modi similitudinibus adhibendis Vergilium ante oculos habuisse iam eo probabile fit, quod apud illum sola grando ad copiam illustrandam inducitur. sic Met. V 158 Naso Cephenum pugnam descripturus tela circum Phinea eiusque socios volantia grandine hiberna plura fuisse narrat, et ex P. IV 7, 33 sq. Vestalis virtutem praedicat, ut qui 'gradu ingenti contra ferrum et locum et lapides densiores grandine brumali ascenderit'. itemque huc referendi sunt loci duo Ib. 200 et 466, quorum uno poeta mala, quae inimico suo imprecaturus est, altero autem multitudinem saxorum, quibus Abderitae homines devotos petebant, grandinis imagine indicat.

Singularis imago inde prodiit, quod grandines in tecta cadentes resilire solent. qua ex re Ovidius similitudinem deprompsit

Met. XII 480, ubi pugna illa Lapitharum et Centaurorum describitur. Latreus enim a Caeneo vulneratus dolore furens in hostis faciem nudam hastam conicit, quae tamen inde non aliter recussa est:

quam tecti a culmine grando.

qua in re quin Ovidius Vergilii locum Aen. V 458 sqq. ante oculos habuerit equidem nullus dubito. ibi enim Entelli pugna cum Darete hac exornatur similitudine:

quam multa grandine nimbi
culminibus crepitant, sic densis ictibus heros
creber utraque manu pulsat versatque Dareta.

praeterea versum quendam commemorare licet, qui etsi nullam continet similitudinem, tamen ad hanc sententiam de Vergilii imitatione facere videtur, dico Georg. I 449:

tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.

Sed pergentes in perlustrandis imaginibus e nive petitis in similitudines, quae apud Homerum et Ovidium solos extant, incurrimus. etenim Od. τ 205 sq. imago e nivis natura petita eo loco sese offert, ubi Ulixes Penelopam ludit narratione ficta. qua audita Penelopae genae lacrimis rigantur:

ὡς δὲ χιὼν κατατήκετ' ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν,
ἥν τ' Εὖρος κατέτηξεν, ἐπὴν Ζέφυρος καταχεύῃ.

hanc imaginem quinquies exhibuit Ovidius in carminibus. ac primum ea nobis occurrit epist. XIII 51 sq., ubi poeta Laodamiam Protesilao haec scribentem facit:

sed timeo, quotiensque subiit miserabile bellum:
more nivis lacrimae sole madentis eunt.

alio loco (Am. I 7, 58) Ovidius eandem imaginem de puella ab amico verberata usurpat, cuius lacrimae diu repressae erumpunt per faciem:

qualiter umecta de nive manat aqua.

deinde eadem similitudo sese offert Trist. III 2, 19 sq., qua in elegia Ovidius lamentatur se in Scythia in assiduo fletu et maerore vitam degere:

nil nisi flere libet, nec nostro parcior imber
lumine de verna, quam nive manat aqua.

prorsus idem legimus ex P. II 3, 89 sq.:

exemploque nivis, quam solvit aquaticus Auster,
gutta per attonitas ibat oborta genas.

ultimus denique locus, qui huc pertinet, reperitur ex P. I 1, 67 sq.:

nil igitur mirum, si mens mihi tabida facta
de nive manantis more liquescit aquae.

Altera forma imaginis ad nivem pertinentis ea est, ut albus color ad depingendum adhibeatur. cuius translationis usum num ex Homero hauserit Ovidius, plane incertum est, cum omnium fere gentium sermo similes vel easdem praebeat imagines. atqui cum Zingerleus 'Ovid und sein Verhältniss zu den Vorgängern und gleichzeitigen römischen Dichtern' I 54 hanc quoque rem tetigerit, neminem, puto, iniquum habebo, si eam hoc loco quam brevissime perstrinxero. iam Homerus enim album nivis colorem in similitudinis usum arcessivit Il. κ 436 sq., ubi regis Rhesi equi describuntur:

τοῦ δὴ καλλίστους ἵππους ἴδον ἠδὲ μεγίστους·
λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

quem ad locum vel proxime accedit Ovidii descriptio de Castore et Polluce Met. VIII 372 sqq.:

at gemini, nondum caelestia sidera, fratres,
ambo conspicui, nive candidioribus ambo
vectabantur equis. . . .

Deinde praeter Catulli LXXX 2 et Ovidii ex P. II 5, 38 locos, quos iam Zingerleus attulit, adnotasse satis habeo: epist. XV 249; Am. III 5, 11; III 7, 8; Met. II 852.

Iam vero cum in Homeri versibus, quibus Rhesi equi laudantur, ventorum mentio fiat ad celeritatem significandam, de imaginibus a ventis petitis pauca disputemus. quae translationes tam frequentes sunt tantumque ad genus cotidiani sermonis accedunt, ut pluribus de hac re exponere supervacaneum esse putem. quam ob rem breviter commemoro similitudinem Vergilianam Georg. III 196 sq., ubi poeta equum confert cum aquilone. praeterea videsis similitudines Aen. II 794; V 242; VI 702; VIII 223, quarum ultimo loco Cacus Herculem fugiens 'ocior Euro' vocatur.

Persimilis est locus Ovidianus Met. I 502, ubi Daphne Apollinem amantem fugit 'ocior aura'; praeterea cf. Met. XIII 807, III 209.

Sequitur ut procellarum et tempestatum imaginem hoc loco commemorem, quam Ovidius ad animi sui condicionem illustrandam adhibuit Trist. II 149 sqq., ubi sortem suam in exilio his describit verbis:

ac veluti ventis agitantibus aequora non est
aequalis rabies continuusque furor,
sed modo subsidunt intermissique silescunt,
vimque putes illos deposuisse suam:
sic abeunt redeuntque mei variantque timores,
et spem placandi dantque negantque tui.[15])

Ad imagines de montibus et rupibus sumptas transeuntes, breviter tantum eas commemorabimus similitudines, e quibus maris fluctus conferuntur cum montibus. nam in huius quoque generis imaginibus, quippe quae apud omnes poetas sat tritae ac pervulgatae sint, Ovidium Homerum imitando expressisse quis quaeso adfirmet? exhibet autem Naso huius generis imagines hisce locis: Trist. I 4, 7 sq.:

monte nec inferior prorae puppique recurvae
insilit et pictos verberat unda deos,

Trist. I 11, 20:

inque modum tumuli concava surgit aqua,

Met. XV 508 sq.:

. . . *cumulusque immanis aquarum*
in montis speciem curvari et crescere visus;

at certe in ea re iam praeivit Homerus Od. γ 290:

κύματά τε τροφόεντα, πελώρια, ἶσα ὄρεσσιν.

quem secutus est Apollonius Arg. II 169:

ἔνθα μὲν ἠλιβάτῳ ἐναλίγκιον οὔρεϊ κῦμα

et Vergilius Aen. I 105:

. . . *insequitur cumulo praeruptus aquae mons,*

Georg. IV 361:

curvata in montis faciem circumstetit unda.

Evidentiora imitationis Homericae vestigia deprehendisse mihi videor in eis similitudinibus, in quibus rupes ad constantiam atque firmitatem significandam adhibentur. primum eius modi comparationis exemplum praebet Homerus Il. ο 618 sqq.:

ἴσχον γὰρ πυργηδὸν ἀρηρότες, ἠΰτε πέτρη
ἠλίβατος μεγάλη, πολιῆς ἁλὸς ἐγγὺς ἐοῦσα,
ἥτε μένει λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα
κύματά τε τροφόεντα, τάτε προσερεύγεταί αὐτήν,

---

[15]) Alia ratione ventorum inter se luctantium imagine usi sunt ad pugnantium impetum significandum Hom. Il. π 765 sqq., Enn. fr. 433 V., Verg. Aen. II 416 sqq., X 356 sqq.; cf. Macrob. Sat. V 13, 14 sq.

alterum Apollonius Arg. III 1292 sqq.:

αὐτὰρ ὁ τούσγε,
εὖ διαβάς, ἐπιόντας, ἅτε σπιλὰς εἰν ἁλὶ πέτρη
μίμνει ἀπειρεσίῃσι δονεύμενα κύματ' ἀέλλαις,

tertium Vergilius Aen. X 693 sqq.:

ille velut rupes, vastum quae prodit in aequor,
obvia ventorum furiis expostaque ponto,
vim cunctam atque minas perfert caelique marisque,
ipsa immota manens;

praeterea cf. Aen. VII 586 sqq., ubi Latinus, qui neque Amatae uxoris neque Turni precibus moveri potest, ut foedus, quod cum Aenea fecit, violet, cum rupe confertur:

ille velut pelagi rupes immota resistit,
ut pelagi rupes magno veniente fragore,
quae sese multis circum latrantibus undis
mole tenet; scopuli nequiquam et spumea circum
saxa fremunt laterique inlisa refunditur alga.

Ovidii denique similitudines huius generis perlustrantibus hunc Vergilii locos ante oculos habuisse adparebit. etenim Met. IX 39 sqq. poeta Calydonium Acheloum suum cum Hercule certamen sic narrantem facit:

me mea defendit gravitas frustraque petebar,
haud secus ac moles, quam magno murmure fluctus
oppugnant: manet illa suoque est pondere tuta.

qua in re hoc potissimum observetis velim, Ovidii verba 'manet illa suoque est pondere tuta' aperte congruere cum his Vergilii 'quae sese multis circum latrantibus undis mole tenet'. porro huc referendus est locus Rem. 691 sq., ubi, quamquam non ipsius constantiae atque firmitatis notio urgetur, tamen imago de rupe fluctibus undique pulsa eodem ex fonte atque altera similitudo Ovidiana fluxisse videtur:

artibus innumeris mens oppugnatur amantum,
ut lapis aequoreis undique pulsus aquis.

His imaginibus subiungere licet similitudines ex harena petitas, quibus ingens rerum numerus illustratur. quo de translationum genere, cuius exempla iam Zingerleus l. c. I 37 sq. congessit, certe non opus est multa verba facere, quoniam tales similitudines in omnium fere gentium sermone satis frequentes esse nemo nescit. id tantum commemoro Ovidium easdem imagines

ad harenam pertinentes in libris in exilio conscriptis potissimum adhibuisse, ut se plurimis malis miseriisque adflictum esse ostenderet; cf. Trist. I 5, 48; IV 1, 55; V 1, 32; V 6, 43. praeterea videsis locos a Zingerleo neglectos A. A. I 254; II 519. praeiverunt autem hac in similitudine usurpanda Homerus Il. ι 385, Catullus VII 3 et LXI 202, quorum iam mentionem facit Zingerleus.

Ex eis similitudinibus Ovidianis, quae e natura corporum caelestium petitae sunt, primo loco imagines ad solem pertinentes recenseamus. cuius rei exemplum habes Met. V 570 sq., quo loco Cereris facies Iovis de Proserpinae domicilio iudicio sic exhilarata esse dicitur:

ut sol, qui tectus aquosis
nubibus ante fuit, victis e nubibus exit.

prorsus eadem imago simili ratione instituta extat Met. XIV 768 sq. Vertumnus enim cultu anili reiecto visus est Pomonae:

qualis ubi oppositas nitidissima solis imago
evicit nubes nullaque obstante reluxit.

Similis quodam modo apud Homerum est Hectoris cum stella ex nubibus emicante comparatio Il. λ 62 sqq.:

οἷος δ' ἐκ νεφέων ἀναφαίνεται οὔλιος ἀστὴρ
παμφαίνων, τοτὲ δ' αὖτις ἔδυ νέφεα σκιόεντα,
ὣς Ἕκτωρ,

quamquam ad aliam plane rem illustrandam adhibitam esse hanc imaginem adparet. quam Apollonius Arg. I 239 sq. ita variavit, ut Argonautas conferret cum lucidis stellis inter nubes exsplendescentibus.[16])

E reliquis similitudinibus ad res caelestes pertinentibus una tantum hoc loco tractanda est, quae extat ex P. II 5, 49 sq. ibi enim Ovidius de Caesare Germanico hac utitur imagine:

surgit Iuleo iuvenis cognomine dignus,
qualis ab eois lucifer exit aquis.

qui locus nobis in mentem vocat Vergilii imaginem illam (Aen. VIII 589 sqq.), qua Pallas Euandri filius inter socios chlamyde et armis auro argentoque distinctis excellere dicitur ita, ut Lucifer stella Veneri dilectissima, quae cetera astra splendore superat:

---

[16]) Alia res est Il. τ 398 sqq., ubi Achilles armis collucens cum sole fulgenti comparatur.

qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
quem Venus ante alios astrorum diligit ignis,
extulit os sacrum caelo tenebrasque resolvit.

Ipsius autem Vergilii imago referri potest ad Homeri exempla, qui Il. χ 317 sq. hastam, quam Achilles vibrat, fulsisse narrat:

οἷος δ' ἀστὴρ εἶσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ
ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ,

et Il. ε 6 sq. Diomedem ἀστέρ' ὀπωρινῷ similem vocat:

ὅστε μάλιστα
λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος Ὠκεανοῖο·

quibus locis apte quoque similitudo adiungitur, quae extat Il. χ 26 sqq.

Denique Apollonius commemorandus est, apud quem Homeri imagines redeunt Arg. II 41 sqq., III 957 sqq., quibus tamen adferendis, ne longus sim, supersedeo. id tantum addam poetam Alexandrinum exempli sui vestigia diligenter pressisse, id quod de Ovidio adfirmari nequit.

Iam vero quoniam disputatio nostra, quatenus Ovidius imagines res terrestres et caelestes spectantes ex Homero hauserit, ad finem perducta est, unum tantum relinquitur genus similitudinum, quae ad hominum opera illustranda adhibentur. quibus in examinandis initium capiamus ab imagine illa notissima ad ebur tinctum pertinente, quam, etsi de ea iam Zingerleus I 114 disseruit, tamen hoc quoque loco breviter tractare liceat. atque antiquissimum huius imaginis exemplum invenies apud Homerum Il. δ 141 sqq., ubi Menelai femora sanguine tincta ebori similia dicuntur, quod femina Maeonia vel Carica purpura colorat:

ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ
Μῃονὶς ἠὲ Κάειρα, παρήϊον ἔμμεναι ἵππων·
κεῖται δ' ἐν θαλάμῳ, πολέες τέ μιν ἠρήσαντο
ἱππῆες φορέειν· βασιλῆϊ δὲ κεῖται ἄγαλμα,
ἀμφότερον, κόσμος θ' ἵππῳ ἐλατῆρί τε κῦδος.

quem locum manifesto imitati sunt Vergilius et Ovidius eo tantum ab auctore suo leviter recedentes, quod colore eboris tincti vultum erubescentis puellae sive pueri adumbraverunt. sic apud Vergilium Laviniae virginis erubescentis color confertur ebori Indico suco purpureo tincto Aen. XII 67 sq.:

Indum sanguineo veluti violaverit ostro
si quis ebur . . .

et apud Ovidium vultus Hermaphroditi auditis verbis nymphae Salmacidis amorem suum confitentis pudore suffusus est, qualis est color 'ebori tincto' Met. IV 332. praeterea eadem similitudo sese offert Am. II 5, 39 sq., quo loco poeta puellae culpae consciae vultum sanguinis rubore suffusum praeter alias imagines hac quoque exornat similitudine:

aut quod, ne longis flavescere possit ab annis,
Maeonis Assyrium femina tinxit ebur.

Sed iam ad Homeri locum, quem Ovidium respexisse facile probari potest, aggrediamur. describitur enim Od. ι 391 sqq., quemadmodum Ulixes eiusque socii longurium navis malo similem Polyphemi in oculum infixerint, qui exustus securis fervidae modo, quam faber in aquam immittit, stridebat:

ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ χαλκεὺς πέλεκυν μέγαν ἠὲ σκέπαρνον
εἰν ὕδατι ψυχρῷ βάπτῃ μεγάλα ἰάχοντα
φαρμάσσων· τὸ γὰρ αὖτε σιδήρου γε κράτος ἐστίν.

eandem imaginem adhibuit Lucretius VI 148 sq., ubi philosophus tonitrus originem varie explicaturus praeter alias explicationes hac quoque utitur ratiocinatione: 'fit quoque', docet v. 145 sq., 'ut fulmen igneum e nube excussum in nubem incidat, quae cum multo umore abundet, ignem illum receptum protinus extinguit; atque inde oritur ingens fragor:

ut calidis candens ferrum e fornacibus olim
stridit, ubi in gelidum propere demersimus imbrem.[17])

Denique Ovidius Homeri imaginem imitatus est Met. IX 170 sq., quo loco Herculis fatalem illam vestem Nessi sanguine tinctam deripere conantis describit labores:

ipse cruor, gelido ceu quondam lammina candens
tincta lacu, stridit, coquiturque ardente veneno.

cuius imitationis manifestissimum indicium in eo inesse puto, quod res quoque, cuius illustrandae causa Ovidius hanc similitudinem usurpavit, prorsus eadem est atque ea, cui illustrandae Homeri imago supra proposita inservit, utpote cum utrubique stridor cruoris e corpore vel oculo manantis conferatur stridori ferri candentis in aquam demersi.

---

[17]) Cf. eiusdem libri v. 966 sqq., Verg. Georg. IV 172 sq.

Prorsus eadem est condicio similitudinis Ovidianae Met. XII 276 sqq., ubi in pugna illa Centaurorum et Lapitharum Rhoetus medio ex altari magnum stipitem ardentem tollens dextra a parte Charaxi tempora perfringit, cuius sanguis vulnere inustus:

terribilem stridore sonum dedit, ut dare ferrum
igne rubens plerumque solet, quod forcipe curva
cum faber eduxit, lacubus demittit: at illud
stridet et in tepida submersum sibilat unda.

Sed pergamus ad eas similitudines investigandas, quibus navigationis imago subiecta est. quarum ratio apud Ovidium ita est instituta, ut ii, qui curru vehuntur, navigationis imagine illustrentur. veluti Phaëthontis iter Met. II 184 sqq. comparatur navi aquilone impulsae, cui rector permisit gubernaculum:

. . . *ita fertur, ut acta*
praecipiti pinus borea, cui victa remisit
frena suus rector, quam dis votisque reliquit.

continuatio imaginis e navigatione depromptae ecficitur comparatione aurigae cum gubernatore in Met. VI 231 sqq., qui locus ei, quem modo proposui, simillimus est. Sipylus enim filius Niobae fratre Ismeno Apollinis sagitta traiecto telum dei effugiens equis habenas remittit:

veluti cum praescius imbres
nube fugit visa pendentiaque undique rector
carbasa deducit, ne qua levis effluat aura.

haec igitur navis cum curribus comparatio iam apud Homerum legitur Od. ν 81 sqq.

ἡ δ', ὥστ' ἐν πεδίῳ τετράοροι ἄρσενες ἵπποι,
πάντες ἅμ' ὁρμηθέντες ὑπὸ πληγῇσιν ἱμάσθλης,
ὑψόσ' ἀειρόμενοι ῥίμφα πρήσσουσι κέλευθον,
ὥς ἄρα τῆς πρύμνη μὲν ἀείρετο, κῦμα δ' ὄπισθεν
πορφύρεον μέγα θύε πολυφλοίσβοιο θαλάσσης·

quo cum loco conferas versus Vergilianos Aen. V 144 sqq., quibus Maro navium celeritatem in certamine navali descripsit:

non tam praecipites biiugo certamine campum
corripuere ruuntque effusi carcere currus,
nec sic immissis aurigae undantia lora
concussere iugis pronique in verbera pendent.

neque discrepat ab hac navigationis imagine ea translatio, ex qua naves maris equi appellantur Od. δ 707 sqq.:

οὐδέ τί μιν χρεὼ
νηῶν ὠκυπόρων ἐπιβαινέμεν, αἵθ' ἁλὸς ἵπποι
ἀνδράσι γίγνονται,

cf. denique Enn. fr. 160 V. (Charis. IV 272 K.).

Quodsi de his imaginibus, num Ovidius aliquatenus Homerum spectaverit, res incerta est, certioribus indiciis probabo similitudinem ad res militares pertinentem, quae extat Met. XI 525 sqq. originem suam ducere ab Homero. Ovidius enim maris procellam permultis imaginibus illustraturus ea quoque utitur similitudine, qua undae in navis compages insilientes conferuntur cum milite forti, qui, postquam saepe frustra adsiluit muris urbis defensae, tandem solus moenia occupat:

. . . ut miles, numero praestantior omni,
cum saepe adsiluit defensae moenibus urbis,
spe potitur tandem laudisque accensus amore
inter mille viros murum tamen occupat unus,
sic ubi pulsarunt noviens latera ardua fluctus,
vastius insurgens decimae ruit impetus undae
nec prius absistit fessam oppugnare carinam,
quam velut in captae descendat moenia navis.

haec imago urbis oppugnationem spectans continuatur versibus sequentibus, quippe quibus poëta navigantium timorem illustret incolarum trepidatione urbis oppugnatae:

pars igitur temptabat adhuc invadere pinum,
pars maris intus erat. trepidant haud setius omnes,
quam solet urbs, aliis murum fodientibus extra
atque aliis murum, trepidare, tenentibus intus.

qua in similitudine hoc quoque velim observetis verba 'pars igitur temptabat adhuc invadere pinum, pars maris intus erat' ita esse comparata, ut omissis vocibus 'pinus' et 'mare' optime quadrent in milites hostium urbem expugnantes; itaque hoc enuntiatum non tam ad maris aestuantis descriptionem quam ad ipsam imaginem de urbis oppugnatione accommodatum est. tota autem similitudo elegantissime absolvitur v. 553:

unda, velut victrix, sinuataque despicit undas.

Harum similitudinum singulae partes ad amussim fere respondent Homeri imaginibus Il. o 381 sqq., quibus Troianorum pugna ad Achivorum castra muro et fossa munita adumbratur. Troiani enim magno cum impetu in hostes irruentes murum

escendunt, sicuti magna unda maris vasti supra navis latera in eam transilit:

οἱ δ', ὥστε μέγα κῦμα θαλάσσης εὐρυπόροιο
νηὸς ὑπὲρ τοίχων καταβήσεται, ὁππότ' ἐπείγῃ
ἲς ἀνέμου· ἡ γάρ τε μάλιστά γε κύματ' ὀφέλλει·
ὣς Τρῶες μεγάλῃ ἰαχῇ κατὰ τεῖχος ἔβαινον. . . .

neque ab re alienum est alterum eiusdem libri locum vv. 624 sqq. in comparationem vocare, ubi duas similitudines, quae inter se accurate respondent, in unam tamquam conflatas esse videmus:

ἐν δ' ἔπεσ' ὡς ὅτε κῦμα θοῇ ἐν νηῒ πέσῃσιν
λάβρον ὑπὸ νεφέων ἀνεμοτρεφές· ἡ δέ τε πᾶσα
ἄχνῃ ὑπεκρύφθη, ἀνέμοιο δὲ δεινὸς ἀήτης
ἱστίῳ ἐμβρέμεται, τρομέουσι δέ τε φρένα ναῦται
δειδιότες· τυτθὸν γὰρ ὑπὲκ θανάτοιο φέρονται·
ὣς ἐδαΐζετο θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν Ἀχαιῶν.

quibus omnibus imaginibus perlustratis quis quaeso nón intellegat Ovidium utramque Homeri similitudinem ita in usum suum convertisse, ut e contrario naufragium urbis expugnatione depinxerit? certe loci ipsi inter se collati imitationem satis arguunt.

Praeivit autem in hac similitudine imitanda Apollonius, qui Arg. II 70 sqq. regis Bebrycum pugnam cum Polluce hunc in modum illustravit:

ἔνθα δὲ Βεβρύκων μὲν ἄναξ, ἅτε κῦμα θαλάσσης
τρηχὺ θοῇ ἐπὶ νηῒ κορύσσεται, ἡ δ' ὑπὸ τυτθὸν
ἰδρείῃ πυκινοῖο κυβερνητῆρος ἀλύσκει,
ἱεμένου φορέεσθαι ἔσω τοίχοιο κλύδωνος,
ὣς ὅγε Τυνδαρίδην φοβέων ἕπετ', οὐ δέ μιν εἶα . . .

qua in re eum aperte ad Homerum sese adplicasse pluribus demonstrare certe non opus est.

Itaque iam ad alteram imaginem Ovidianam e re militari petitam nos convertamus, ex qua spatii mensura teli iactu definitur. quod genus imaginum Ovidius ab Homero didicisse videtur, quia apud ceteros poetas eius generis similitudines non reperiuntur. extant autem et apud Homerum et apud Ovidium terna huius generis imaginum exempla, quae hic breviter tantum recensere mihi in animo est.

Apud Homerum enim Il. ψ 431 sq., equi Antilochi tantum praecucurrisse dicuntur:

ὅσσα δὲ δίσκου οὖρα κατωμαδίοιο πέλονται,
ὅντ' αἰζηὸς ἀφῆκεν ἀνήρ, πειρώμενος ἥβης.

praeterea huc referendi sunt loci Il. π 589 sqq. et o 358 sq., quorum uno Troianis recedentibus Graecos tantum progressos esse narratur, quantum telum conici solet, altero autem Hector fossa, qua Graecorum castra circumdabantur, expleta pontem tam latum facit, quantum vir telum emittere potest.

Has ad Homeri similitudines Ovidius suas imagines huc pertinentes conformasse videtur eo tantum leviter ab auctore suo deflectens, quod fundam in imagine induxit. sic Met. IV 709 sq. haec leguntur:

tantum aberat scopulis, quantum Balearica torto
funda potest plumbo medii transmittere caeli.

cui loco simillima est imago Fast. III 583 sq.:

illuc cursus erat, nec longius afuit inde,
quam quantum novies mittere funda potest.

tertia denique similitudo, in qua sagitta emissa mensurae indicandae inservit, reperitur Met. VIII 695 sq.:

tantum aberant summo, quantum semel ire sagitta
missa potest . . . .

Restat, ut unum tantummodo memorabile imitationis exemplum iam ab editoribus observatum proponam, quod ad similitudinem illam de angue a viatore viso vel pede presso pertinet, cuius imaginis fundum tamen Zingerleus II 61 non detexit. primus enim Homerus hanc effigiem protulit Il. γ 33 sqq. quo loco Paris Menelaum conspicatus ad Troianos refugit:

ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη
οὔρεος ἐν βήσσῃς, ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα,
ἄψ τ' ἀνεχώρησεν, ὦχρός τέ μιν εἷλε παρειάς.

hanc similitudinem non sine variatione recepit Vergilius Aen. II 378 sqq. Androgeos enim, qui in hostes illapsus est, quos propter tenebras amicos esse putabat, cognito errore obstupefactus retro pedem cum voce repressit:

inprovisum aspris veluti qui sentibus anguem
pressit humi nitens, trepidusque repente refugit
attollentem iras et caerula colla tumentem.

maxime vero haec imago Ovidii menti infixa fuisse videtur, qui ex ea duas effinxit similitudines. quarum in una (Fast. II 341 sq.) Homeri vestigia accurate pressit, cum viatorem angue viso

tremefactum in imagine induceret, ut Faunum illustraret re inopinata turbatum:

attonitusque metu rediit, ut saepe viator
turbatum viso rettulit angue pedem,

in altera autem (A. A. II 373 sqq.) viperae pede laesae perbene feminae contulit iram, quae paelicem deprehendit:

sed neque fulvus aper media tam saevus in ira est,
. . . .
nec brevis ignaro vipera laesa pede,
femina quam socii deprensa paelice lecti.

qua in imagine conformanda Ovidium Vergilii, non autem Homeri locum ante oculos habuisse inde coarguitur, quod Maro ʽanguem pede pressum iras attollentem et caerula colla tumentemʼ depinxit, id quod aptissime convenit cum descriptione viperae pede ignaro laesae. itaque hac quoque in imitatione idem factum esse videmus, quod iam aliis exemplis sat superque demonstravimus, scilicet Ovidium colores, quibus Vergilius suam imaginem ex Homero haustam exornavit, ita in usum suum convertisse, ut novam inde proferret similitudinem.

Iam ad Lucretium transgredientibus nobis ac quaerentibus, quid imaginum huic philosopho Ovidius debeat, haud alienum a re nostra esse videtur ostendere, quod iudicium Naso de illius carmine tulerit. nam cum Carus in poemate suo ʽde rerum naturaʼ neutiquam talem tractaverit materiam, qua Ovidium vel maxime delectatum et quodam modo delenitum fuisse opineris, iustam puto habebit excusationem, si eos locos Ovidianos, quibus Lucretii mentio fit, hic vobis proponam, ut, quantum studium Naso in carmen illud impenderit, dilucide perspiciatur. qua in re simul complurium similitudinum imaginumque Ovidianarum, quae in sequenti disputatione haud bene tractari possunt, originem explicare licebit.

Ac primum quidem Lucretii nominis mentio fit Am. I 15, 23 sq., ubi Ovidius studium suum poeticum ceterarum artium collatione defensurus poetarum famam immortalem esse contendit. quod ut comprobet, cum aliorum poetarum, tum Lucretii adfert exemplum, cuius carmen hoc celebrat disticho:

carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
exitio terras cum dabit una dies.

quibus versibus cum Ovidius manifesto alludat ad locum Lucretianum V 92 sqq.:

principio maria ac terras caelumque tuere;
quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
tris species tam dissimilis, tria talia texta,
una dies dabit exitio, multosque per annos
sustentata ruet moles et machina mundi.

nonne inde maxima cum necessitate colligitur illi poema illud, quo tota Epicurei philosophia continetur, notissimum fuisse? nempe Ovidius Lucretii carmina celebraturus atque significaturus ea numquam interitura esse, aeternitatis notionem adhibere non potuit, quoniam philosophus contra eos, qui mundum aeternum fore censuerunt, eum quondam interiturum esse docuit.

Alter locus iam a Zingerleo laudatus extat Trist. II 425 sq., ubi haec leguntur:

explicat ut causas rapidi Lucretius ignis,
casurumque triplex vaticinatur opus.

ac de priore versu huius distichi, quo sensu ignis ille rapidus accipiendus sit, postea videbimus, cum de similitudinibus Ovidianis ex ignis vi ac natura petitis disputaturi sumus. hic satis esto de versu altero verbo commemorare Ovidium verbis 'triplex opus' mundum significare, quem quondam interiturum esse Lucretius loco supra allato vaticinatus est. atque cum hic mundum, qui e tribus constat partibus, caelo terra mari, 'triplicem naturam, tria corpora, tres species, tria texta' vocet, Ovidium hanc tripartitam mundi naturam optime verbis illis 'triplex opus' expressisse solis luce clarius est.

Sed accedunt alia non minus gravia argumenta, ex quibus Ovidium Lucretium diligenter lectitavisse luculentissime adparet. possum enim locum adferre, ubi poeta, etsi Lucretii nomen non memorat, tamen eum respicere videtur, cum in universum eos, qui studia sua in rerum caelestium contemplatione collocaverunt, felices praedicet. in Fastorum enim l. I vv. 295 sqq. Ovidius Nonas celebraturus hac exorditur sollemni ratione:

quid vetat et stellas, ut quaeque oriturque caditque,
dicere? promissi pars sit et ista mei.
felices animae, quibus haec cognoscere primis
inque domos superas scandere cura fuit!

quibus versibus Ovidium in primis Lucretium ante oculos habuisse, qui eas ipsas res ad caeli miracula pertinentes multis locis copiosissime explanavit, quis est quin videat? neque dubium esse potest, quin poeta Lucr. V 509 sq. respexerit, ubi haec leguntur:

motibus astrorum nunc quae sit causa canamus.
principio magnus caeli si vortitur orbis . . . .

quos versus Lucretianos poetae animo obversatos esse eo facilius credas, quod eam quidem partem carminis incohant, quae fere tota in disputatione de astrorum motibus versatur. et profecto utrumque locum comparantem quemnam effugere potest similitudo illa, quae intercedit inter rationes, qua uterque poeta novam carminis sui partem incipit? nonne Ovidii exordiendi ratio 'quid vetat et stellas ut quaeque oriturque caditque dicere' perbene respondet huic Lucretiano 'motibus astrorum nunc quae sit causa canamus', utpote cum illa interrogationis forma eandem ferme vim in lectores exerceat atque haec adhortatio? atque ipsum Ovidii enuntiatum 'ut quaeque (stella) oriturque caditque' quidnam aliud significat quam Lucretii illud 'motibus astrorum', quorum de causa ut disputet, sese ipsum adhortatur? si porro Ovidius post versus illos supra commemoratos sic pergit:

credibile est illos pariter vitiisque locisque
altius humanis exeruisse caput.

Lucretium eandem fere sententiam etsi minus expressis verbis tamen eis omnibus, quae multifariam de philosophiae studio in primis in Epicurei laudem affert, luculenter ante oculos ponere nemo nescit. et prorsus ipsi versus Ovidiani, qui illos modo allatos excipiunt:

non Venus et vinum sublimia pectora fregit
officiumve fori militiaeve labor:
nec levis ambitio perfusaque gloria fuco
magnarumque fames sollicitavit opum.

nescio in quem alium melius quadrent quam in Lucretium ipsum, qui et multis aliis locis et praecipue in initio libri alterius philosophiam, quippe quae sola curas lenire et animum metu liberare possit, praedicat, utpote cum philosophantes tamquam supra terram eiusque vitia atque labores versentur itaque ipsi his malis et pravis terrae cupiditatibus careant. denique quod Ovidius totam

praedicationem in philosophorum scilicet astronomorum laudes compositam his versibus ad finem duxit:

nos quoque sub ducibus caelum metabimur illis,
ponemusque suos ad vaga signa dies,

facile tibi persuadeas poetam Lucretium potissimum ducem habuisse hoc in labore conficiendo. etenim praeter versus antecedentes, ex quibus, cum Lucretianas quasdam sententias redoleant, iure colligas hoc quoque distichum, quo tota praedicatio finitur, ad Lucretium pertinere, idem ex eo luculenter cognoscitur, quod Naso his versibus sat aperte sese adplicavisse videtur ad Lucretium V 1183 sqq.:

praeterea caeli rationes ordine certo
et varia annorum cernebant tempora verti,
nec poterant quibus id fieret cognoscere causis.

cum enim Lucretius his versibus eos significet, qui solem, lunam, sidera et varia annorum tempora ordine quodam verti animadverterunt, ipse autem, quibus de causis id fiat, quod illi cognoscere non potuerunt, explicaverit, quid iam apertius est, quam Ovidium hoc sibi sumpsisse ad tractandum, ut, cum iam ab aliis in siderum conversionibus certus quidam ordo observatus esset, Lucretius autem, cur id fieret, explicavisset, ipse his ducibus vagis astris, quae suo et fixo tempore oriuntur et occidunt, proprios dies adsignaret? quae cum ita sint, nunc demum hunc totum locum Ovidianum penitus intellegemus neque dubitabimus, quin poeta praedicatione illa 'felices animae' et quae secuntur, praeter alios astronomos in primis Lucretium ante oculos habuerit, quorum in numero sese ipsum extremis versibus ponere audet. ergo ex his quoque, quos adhuc tractavimus, versibus Ovidianis, quibus poeta locos quosdam Lucretianos significat, cognoscere possumus, quam firmiter Naso huius carmen de rerum natura memoria sua tenuerit.

Quamquam vix quemquam esse putaverim, qui huic sententiae tot tantisque argumentis a me defensae refragari velit, tamen adhuc in promptu habeo exemplorum congeriem, quibus Ovidium in Lucretii carminibus penitus versatum fuisse evincitur. possum enim locum adferre, qui ad eam rem confirmandam mihi magni momenti esse videtur, dico eam partem Metamorphoseon l. XV, ubi Pythagorae doctrina explicatur. huic enim philosopho Ovidius,

postquam eius originem simili ratione ac Lucretius eam Epicuri I 67 sqq. ipso nomine celato indicavit, has attribuit doctrinas:

in medium discenda dabat coetusque silentum
dictaque mirantum magni primordia mundi
et rerum causas et, quid natura, docebat,
quid deus, unde nives, quae fulminis esset origo,
Iuppiter an venti discussa nube tonarent,
quid quateret terras, qua sidera lege mearent,
et quodcumque latet.

cf. vv. 66 sqq. quas doctrinas omnes ad ipsam Pythagorae disciplinam redire posse forsitam neget aliquis, qui propter naturam eorum principiorum, a quibus Pythagorei profecti sunt, suspicetur hos de mathematicis modo corporibus disputasse et in eis explicandis versatos esse. sed cum mathematicis quoque corporibus argumentationes ad corpora sensibilia pertinentes accommodari posse Pythagorei existimarent, certe illi, id quod Aristoteles Metaph. I 8 testatur, de sensilibus etiam corporibus egerunt; nam ex suis principiis, id quod verissime Aristoteles l. c. observat, non habebant peculiare quodpiam, quod de illis proferrent. itaque sane quidem fieri potuit, ut de eis quoque rebus, quas Ovidius Pythagorae ascribit, re vera disputaverint Pythagorei. verum tamen nego atque denego Ovidium his doctrinis ad eorum disciplinam, nedum ad ipsam Pythagorae philosophiam sese adplicasse. simulatque enim huius philosophi nomen profertur, vel maxime nobis cavendum est, ne in errorem inducamur, cum nulla fere antiquitatis persona tam multis tamque variis fabulis exornata sit quam Pythagoras. qua de re prorsus valent Zelleri verba illa Phil. gr. hist. I³ 237 sq.: 'Ueber den Pythagoreismus und seinen Stifter weiss uns die Ueberlieferung um so mehr zu sagen, je weiter sie der Zeit nach von diesen Erscheinungen abliegt, wogegen sie in demselben Masse einsilbiger wird, in dem wir uns dem Gegenstand selbst zeitlich annähern.' quibus rebus ita comparatis certe nemo erit, qui Ovidium doctrinis illis Pythagorae philosophiam expressisse contendat; immo si me consulas, equidem adfirmare non dubito Nasonem Lucretium ante oculos habuisse, quem in libris de rerum natura iisdem de rebus non uno sed pluribus locis egisse copiosissime nemo nescit.

Quid quod Ovidius Pythagorae personam, cuius nominis omnino non mentionem facit, nobis eo tantummodo consilio induxisse videtur, ut variorum philosophorum sententias atque doctrinas, quas, cum argumento huius libri commodissimae esse viderentur, prolaturus erat, alicui philosopho tribueret. nam si Nasoni Pythagoricas tantummodo doctrinas proferre in animo fuisset, cur quaeso non gravissimam illam doctrinam, qua tamquam verbo tota illorum ratio significatur, commemoravit, doctrinam illam dico ad numeros pertinentem, qua rerum omnium principia explicaverunt Pythagorei neque ut antecedentes philosophi, qui unam statuerunt causam materialem, de sensibili modo rerum natura philosophati sunt, sed res sensibus exemptas perinde cognoscendas sibi proposuerunt?

At, inquiet fortasse aliquis: haec doctrina de numeris neutiquam ipsi argumento convenit, quod Ovidius in hoc libro tractavit; quare illam omittendam esse censuit. sed habemus alia quoque argumenta, ex quibus colligatur Ovidium hoc loco non id egisse, ut solas Pythagoreorum doctrinas proferret; neque aliud eum ante oculos habuisse adsevero, quam ut tamquam florilegium earum sententiarum atque doctrinarum ad variorum philosophorum disciplinas pertinentium lectoribus proponeret, quae ipsi materiae commodae esse videbantur. nam si accuratius in hanc rem inquirimus, etiam dogma illud, ex quo Pythagoras teste Ovidio docuisse dicitur nefas esse animalibus vesci, neutiquam ad illum philosophum ipsum redit, ut compertum habemus ex Aristotelis fragmento quodam, quod extat apud Gellium IV 11: Ἀριστοτέλης δὲ μήτρας καὶ καρδίας καὶ ἀκαλήφης καὶ τοιούτων ἀπέχεσθαί φησι τοὺς Πυθαγορικούς, χρῆσθαι δὲ τοῖς ἄλλοις. quo cum testimonio prorsus consentiunt Diogenes Laertius VIII 18 et Porphyrius vit. Pythag. c. 45, qui omnes Pythagoram non omnibus animalibus, sed quibusdam tantum abstinuisse testantur. quorum testimonia atque in primis id, quod Aristoteles tradit, quis quaeso postponere audebit eis, quae ab Ovidio afferuntur, qui sine dubio Orphicorum quorundam et posteriorum Pythagoreorum doctrinas respiciens falsam illam opinionem, ex qua Pythagoras ipse homines omnino carne vesci vetuisse dicitur, amplexus est? quin etiam alias aliorum philosophorum doctrinas Ovidius Pythagoram proferentem facit ita, ut facile inclines ad

credendum poetam variorum philosophorum disciplinas prorsus ignorasse easque inter sese confudisse. nam quicumque v. 178 legerit:

cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago,

ei certe ilico in mentem veniet illud Heracliteum πάντα χωρεῖ καὶ οὐδὲν μένει. et qui secuntur versus:

ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
non secus ac flumen. neque enim consistere flumen
nec levis hora potest. sed ut unda impellitur unda
urgueturque eadem veniens urguetque priorem,
tempora sic fugiunt pariter pariterque secuntur
et nova sunt semper. nam quod fuit ante, relictum est,
fitque quod haud fuerat, momentaque cuncta novantur,

plane ostendunt poetam eiusdem philosophi sententiam illam ποταμοῖς δὶς τοῖς αὐτοῖς οὐκ ἂν ἐμβαίης ante oculos habuisse, quam doctrinam Cratylus, magister ille Platonis, superare studuit docens ne semel quidem nos in eundem fluvium intrare posse.

Si porro Ovidius inde a v. 239 sqq. quattuor elementorum mentionem facit, ignis, aëris, terrae, aquae, e quibus omnia generantur, eum Empedoclis doctrinam spectasse facile tibi persuadeas. nam quod tu obicere possis Pythagoram quoque teste Diogene Laert. VIII 1, 25 στοιχεῖα εἶναι τέτταρα docuisse, πῦρ, ὕδωρ, γῆν, ἀέρα· μεταβάλλειν δὲ καὶ τρέπεσθαι δι' ὅλων καὶ γίνεσθαι ἐξ αὐτῶν κόσμον ἔμψυχον κ. τ. ἕ., unde Nasonem re vera Pythagoreorum disciplinam ante oculos habuisse nobis censendum sit, id ad irritum cadit, si rationem tecum reputaveris, qua Pythagoras ex Ovidii testimonio omnia generari et in se ipsa resolvi docuisse dicitur. etenim si poeta philosophum docentem facit terram extenuatam abire in aquam, aquam in aëra, aëra gravitate sublata in ignem, indeque eundem ordinem retexi, scilicet ignem densatum verti in aëra, hunc in aquam, hanc denique in terram, nemo non videt Ovidium illud Heracliteum ὁδὸς ἄνω κάτω μίη, qua ex doctrina Heraclitus omnia extenuando et densando fieri contendit, exprimere voluisse. quam ob rem haud veri simile est Nasonem, si Pythagoram e quattuor elementis omnia generari docentem facit, huius doctrinam ante oculos habuisse; immo eam disciplinam respicere videtur, cuius auctor Empedocles fuit, a quo tamen in eo dissentit, quod, cum hic ortum et interitum mundi coitione ac dissolutione elementorum fieri docuisset,

ipse Heraclitum secutus Pythagoram omnia extenuando et densando fieri docentem fecit.

Verum haec sufficiant. iam enim vereor, ne iusto longius in re apertissima versatus sim, quoniam nemo puto opinabitur Ovidium id tantummodo egisse, ut solas Pythagoreorum doctrinas proferret; immo poeta sciens ac volens variorum philosophorum sententias ac doctrinas, quae ipsi argumento huius libri Met. commodae esse videbantur, elegit, ut eas Pythagoram proferentem faceret.

Quae cum ita sint, haec disputatio, etsi fortasse iusto longior, tamen non caret fructu. nam si omnia, quae adhuc protulimus, satis certa et vera sunt, ut mihi quidem videntur esse, quis non videt, quanto in honore et admiratione Lucretius apud Ovidium fuerit, utpote cui illius doctrinae dignae esse viderentur, quas simul cum Heracliti et Empedoclis sententiis Pythagorae tribueret? et si Ovidius Pythagorae, cuius personam sollemni quadam ratione, quem ad modum Lucretius eam Epicuri, ipso nomine celato, induxit, Lucretianas quasdam doctrinas attribuit eumque sicut Heracliteas et Empedocleas sententias proferentem, ita etiam de nonnullis eorum, quae Lucretius tractavit, disputantem fecit, quis non concedet hoc quidem gravissimum esse documentum, ex quo Nasonem huius carmen vel maxime aestimavisse colligatur? certe illae, quas supra tractavimus apertae allusiones ad Lucretii doctrinas quasdam non minus valent ad cognoscendum, quod iudicium de huius carminibus tulerit Ovidius, quam loci a Zingerleo commemorati, quibus Lucretii nominis mentio fit vel illa astronomorum praedicatio a me supra tractata.

Verum accedit alterum quoque momentum, quo mihi, ut aliquanto explicatius his de doctrinis disputarem, persuasi. hac enim in dissertationis parte comprobaturus sum Ovidium ex eis quidem partibus Lucretii carminis plurimas hausisse similitudines imaginesque, in quibus illae, de quibus consuluimus, doctrinae tractantur. sicut igitur similitudines quasdam Ovidianas e locis Lucretianis fluxisse eo facilius intellegetur, si illas ad eas partes redire ostendero, in quibus doctrinae illae supra expositae tractantur, ita contra mea sententia, ex qua Ovidium se in doctrinis illis explicandis non tam ad Pythagoram quam ad Lucretium adplicasse contendo, ipsis imaginibus ex eisdem Lucretii

carminis partibus deprompti vel maxime confirmabitur. nam per se patet Ovidium, quo plura e loco quodam Lucretii carminis deprompsit, eo magis totius huius loci studiosum fuisse eumque penitus memoria sua tenuisse. itemque facile quisque concedet imitationi vel maximam fidem addi, si vicinos quoque locos, qui huic imitationi antecedunt aut eam secuntur, Ovidium expressisse constat, quoniam unaquaeque imitatio altera aut antecedenti aut sequenti fulcitur ita, ut, etiamsi una alterave minus certa vel dubia esse videtur, res tamen vicinis imitationibus, si quaedam extant, extra omnem dubitationem ponatur.

Quibus rebus ita comparatis haud pigebit commemorasse Lucretium 'primordia rerum', de quibus teste Ovidio Pythagoras egisse dicitur, in eodem libro tractasse, cuius locos quosdam Nasonem imitationibus quibusdam expressisse iam adhuc vidimus, dico librum quintum de rerum natura. cum enim viderimus poetam Am. I 15, 23 sq. ad Lucretii l. V. v. 92 sqq. allusisse et ex Fastorum I 295 sqq. necessario sequatur Ovidium totam partem eiusdem libri Lucretiani, in qua caeli miracula explanantur, id est inde a v. 509 sqq. usque ad v. 613 penitus cognovisse, denique etiam v. 1183 sqq. ante oculos habuisse, quid iam veri similius est, quam poetae animo, si de primordiis magni mundi Pythagoram disputasse narrat, non huius philosophi disciplinam obversatam esse, sed ea, quae Lucretius de eadem re in eodem libro inde a v. 416 usque ad v. 508 exposuit, cum praesertim haec quidem pars libri quinti statim altera excipiatur, in qua disputatio de rebus caelestibus versatur? sed iam ipsos locos proferam, quibus inter se collatis imitatio arguitur. Lucretius enim illam carminis partem sic incohavit:

sed quibus ille modis coniectus materiai
fundarit terram et caelum pontique profunda,
solis lunai cursus, ex ordine ponam.
nam certe neque consilio primordia rerum
ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt.

Ovidius autem Met. XV 67 sqq. Pythagoram his de rebus egisse nobis tradit:

. . . dabat . . .
dictaque mirantum magni primordia mundi
et rerum causas et, quid natura, docebat.

unde Ovidium ea, quae Lucretius habet, multo brevius et planius reddidisse cognoscimus, quoniam verbis 'primordia mundi' argumentum totius loci Lucretiani tamquam verbo significatur. cavendum tamen est, ne Lucretium 'primordia rerum' eodem sensu dixisse opinemur, quo Ovidius dixit, 'primordia mundi'. nam cum apud Lucretium illa verba idem significent, quod 'semina rerum', quae ex Empedoclis doctrina temere coniecta caelum, terram, mare et omnino totum mundum constituerunt, Ovidius hunc locum respiciens optime mundi magni exordia verbo 'primordia' adhibito expressit, quod etiam paulo infra v. 422 'primordia rerum' et sescentis aliis locis in Lucretii carminibus invenitur. quod autem Naso l. c. tradit Pythagoram de 'rerum causis' et 'quid natura' (valeret) docuisse, cui non patet eum solum Lucretium has ipsas res in libris de 'rerum natura' copiosissime explanantem respicere? et verba ipsa 'quid natura', nonne ea ita sunt comparata, ut facile opineris eum, quem Ovidius ante oculos habuit, docuisse naturam plurimum valere et tamquam dominam atque gubernatricem omnium, quae existunt atque fiunt, esse, id quod prorsus in Lucretii doctrinam cadit?

Videmus igitur Ovidium praeter eos, quos in initio huius dissertationis partis tractavimus, locos his quoque versibus aperte sese adplicasse ad Lucretii librum quintum, ita ut eum studia sua in hoc potissimum libro collocasse facile colligatur. nam easdem fere doctrinas etiamsi ex omnibus Epicureis philosophis recipere potuit Ovidius, Lucretii tamen auctoritatem eum secutum esse contendo. quae quam vere a me dicta sint, ut apertius cognoscatur, liceat mihi alias quoque imitationes ad eiusdem libri locos quosdam pertinentes adicere, e quibus etiam quanto opere unaquaeque imitatio stabiliatur vicinis imitationibus, dilucide perspicitur. iam Zingerleus enim in altera parte op. sui p. 19 egregie observavit Ovidium maxime delectatum esse eis, quae Lucretius de prima hominum cultusque humani origine in libro quinto inde a v. 780 sqq. explicavit. sed ille, quod erat ei propositum, hanc rem potius indicavit, quam accuratius tractavit, qua re fieri non potuit, quin, id quod iam comprobabo, alia huc pertinentia omiserit, alia contra quam brevissime perstrinxerit.

Ac primum quidem Lucretius humilem statum primi generis humani uno tamquam verbo illustrans v. 932 haec dixit:

vitam tractabant more ferarum.

quem locum mihi respicere videtur Ovidius, cum Met. XV 222 Pythagoram de infante hanc proferentem facit imaginem:

mox quadrupes rituque tulit sua membra ferarum.[18])

quamquam autem inter Ovidii et Lucretii locos hoc intercedit discrimen, quod, cum hic similitudinem illam de primis hominibus usurpaverit, ille eandem ad infantium condicionem illustrandam adhibuit, neque negari potest imaginem ab animalibus depromptam, qua hominum variae condiciones illustrantur admodum tritam et pervulgatam esse, nihilo minus Ovidium verbis 'ritu ferarum' illud Lucretianum 'more ferarum' exprimere voluisse inde iure colligere mihi videor, quod omnino tota fere descriptio pristinae condicionis humanae, qualis apud Lucretium in eodem libro sequitur, ad amussim fere respondet eis, quae ab Ovidio de eadem re proferuntur.

Ille enim inde a v. 955 sqq. primorum hominum domicilia sic describit:

sed nemora atque cavos montis silvasque colebant,
et frutices inter condebant squalida membra,
verbera ventorum vitare imbrisque coacti.

quocum prorsus consentit Ovidius Met. I 119 sqq.:

tum primum siccis aër fervoribus ustus
canduit et ventis glacies adstricta pependit.
tum primum subiere domus. domus antra fuerunt
et densi frutices et vinctae cortice virgae.

quos locos si inter se conferas, patet Ovidium non sine artificio versuum aequabilitati studuisse, utpote cum id duobus versibus (119 sq.) expresserit, quod uno (v. 957) absolverat Lucretius. atque primo obtutu fortasse non intelleges, quo modo sensus prioris distichi Ovidiani, post quod editores plenius interpunxerunt, cohaereat cum duobus versibus subsequentibus. sed ea, quae apud Lucretium leguntur, contextum loci Ovidiani ilico explanant. nempe ventorum verbera et imbres et glacies adstricta primos homines coegerunt cavos montes vel — ut Ovidius dicit — antra et silvas, quae prima domicilia fuerunt, subire.

Si porro hominum pristinorum agri culturam, qualis ab utroque poeta describitur, spectamus, non potest nos effugere

[18]) Cf. Lucr. IV 1265, Ovid. Met. VII 387, Fast. II 291.

similitudo, quae intercedit inter utriusque poetae descriptiones. Lucretius enim vv. 933 sqq. de agrorum cultu haec disputat:

nec robustus erat curvi moderator aratri
quisquam, nec scibat ferro molirier arva
. . . .
quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat
sponte sua, satis id placabat pectora donum.

idem fere sed in brevius contractum legitur apud Ovidium Met. I 101 sq.:

ipsa quoque immunis rastroque intacta nec ullis
saucia vomeribus per se dabat omnia tellus,

quo loco Naso Lucretii illud 'quod terra sponte sua crearat' perbene reddidit his verbis 'per se dabat omnia tellus'.

Alimenta priscorum hominum, quae a Lucretio in proximis enumerantur:

glandiferas inter curabant corpora quercus
plerumque: et quae nunc hiberno tempore cernis
arbita puniceo fieri matura colore,
plurima tum tellus etiam maiora ferebat.
multaque praeterea novitas tum florida mundi
pabula dura tulit, miseris mortalibus ampla,

Ovidius quoque versibus, qui statim secuntur, explicat:

contentique cibis nullo cogente creatis
arbuteos fetus montanaque fraga legebant
cornaque et in duris haerentia mora rubetis
et quae deciderant patula Iovis arbore glandes.
. . . .
mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
nec renovatus ager gravidis canebat aristis.

qua in imitatione, ut alia utrique poetae communia missa faciam, hoc potissimum velim animadvertas Ovidii verba 'nec renovatus ager' eandem vim habere quam Lucretiana 'novitas mundi', ita scilicet, ut uterque poeta terram vigentem integramque eius naturam significet. haec ipsa autem verba Lucretiana 'novitas mundi' in Ovidii animo eo firmius haerere potuerunt, quod ea in eodem Lucretii libro repetuntur v. 780 sq.:

nunc redeo ad mundi novitatem et mollia terrae
arva,

et v. 818:

at novitas mundi nec frigora dura ciebat.

Praeter illum autem Ovidii locum supra commemoratum apte quoque hic comparabuntur Am. III 10, 7 sqq.:

ante nec hirsuti torrebant farra coloni,
nec notum terris area nomen erat:
sed glandem quercus, oracula prima, ferebant:
haec erat et teneri caespitis herba cibus

et Fast. IV 395 sqq.:

messis erat primis virides mortalibus herbae,
quas tellus nullo sollicitante dabat.
et modo carpebant vivaci caespite gramen,
nunc epulae tenera fronde cacumen erant.
postmodo glans nata est. bene erat iam glande reperta,
duraque magnificas quercus habebat opes.'

quibus locis singuli colores manifesto ad Lucretii descriptiones redeunt. quod autem his imitationibus aliquis obicere possit glandes et arbuta apud complures antiquitatis gentes pro cibo usurpata esse alios quoque auctores testari veluti Platonem Rep. II 372 et Aristophanem Pac. 1137 sqq., e quibus hanc rem recipere potuerit Ovidius, id mihi non multum valere videtur propterea, quod e reliquis imitationibus ad eundem librum Lucretianum redeuntibus necessario sequitur haec quoque, quae in eodem libro Lucretiano leguntur, ex eodem fonte manavisse.

Itaque ne ea quidem conferre dubito, quae ab utroque poeta de institutis atque legibus hominum pristinorum traduntur, etsi hac in re haud exiguum intercedit discrimen inter utramque sententiam. Lucretius enim hanc rem quam brevissime describit vv. 958 sqq.:

nec commune bonum poterant spectare, neque ullis
moribus inter se scibant nec legibus uti.
quod cuique obtulerat praedae fortuna, ferebat
sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus.

apud Ovidium autem Met. I 89 sqq. haec leguntur:

aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,
sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.
poena metusque aberant, nec verba minacia fixo
aere legebantur, nec supplex turba timebat
iudicis ora sui, sed erant sine vindice tuti.

sententiae Lucretianae cum Ovidiana in universum commune est hoc, quod utrubique traditur pristinos homines re publica, legibus aliisque institutis caruisse. sed cum ille primos homines rapaces

et rapinis deditos fuisse putat, hic eosdem sponte sua sine lege rectum coluisse contendit. qua in re Ovidius ex mea quidem opinione Lucretii locum ita respexit, ut sciens volensque huius sententiae obloqueretur. nam easdem voces 'sponte sua', quibus Lucretius in descriptione sua usus est, Naso quoque adhibuit, ut contrariam sententiam urgeret.

Si vero quaerimus, quid uterque poeta de navigatione ab hominibus inventa protulerit, hac quoque in re statuendus est nobis utriusque poetae sententiarum consensus. atqui cum ipsi loci collati inter se nullam prae se ferant maiorem externam similitudinem satis habeo adnotasse Lucr. 1000 sqq. et Ovid. Met. I 94 sqq., quibus locis uterque poeta eum statum hominum pristinorum describit, ex quo his ars navigandi nondum nota fuit, et Lucr. 1442 sqq. quibuscum conferas Met. I 132 sqq., ubi ea condicio, ex qua iam prisci homines navibus usi sunt, utrubique illustratur.

Denique addam in eis quoque, quae a Lucretio et Ovidio de pristinorum hominum coniugiis proferuntur, adparere similitudinem quandam, id quod, quicumque locos huc pertinentes in primis Lucret. 958 sqq. et Ovid. A. A. II 621 sqq. comparaverit, facile concedet.

Quae omnia si comprehenderis, num tu infitiabere Ovidium huius libri Lucretiani, cuius tot locos imitando expressit, studiosissimum fuisse? [19])

His igitur tamquam fundamentis innisi iam ad quaestionem de similitudinibus imaginibusque ab Ovidio ex Lucretio petitis tractandam accedamus. initium autem faciamus a comparationibus ex animalibus depromptis, e quibus primo loco imaginem ad aves pertinentem tractare lubet. valde enim Ovidius eam similitudinem e cycno petitam adamavit, qua lamentationes morientium vel propriam miseriam deflentium conferuntur cum cantu cycni morientis. quam ad rem Naso Lucretii exemplo excitatus esse mihi videtur, quamquam probe scio tales imagines iam apud Aeschylum et Euripidem [20]) reperiri.

---

[19]) Adde Lucr. V 1125 sq., 1131 sq. et Ovid. Remed. 369 sq.; Lucr. V 1112 sqq. et Ovid. A. A. II 277 sqq., Am. I 8, 61.

[20]) Aesch. Ag. 1444 sq., Eur. Herc. f. 691 sq., El. 151, Iph. Taur. 1104, fr. 775, 32; cf. Plat. Phaed. 84 e.

Ac primum quidem imago de cycno petita invenitur epist. VII 1 sq.:

sic ubi fata vocant, udis abiectus in herbis
ad vada Maeandri concinit albus olor.

quo loco rem, cuius illustrandae causa haec imago profertur, Ovidius de industria omisit sine dubio ea de causa, quod hac ratione mulieris scribentis affectus melius exprimitur. alterum huius imaginis exemplum habes in fabula de Canente, Pici uxore, Met. XIV 429 sq. illa enim desiderio viri amissi extabescens atque lugens:

verba sono tenui maerens fundebat, ut olim
carmina iam moriens canit exequialia cycnus.

tertio loco, qui extat Fast. II 109 sq., felicissime hanc imaginem adhibuisse putandus est poeta, cum cantum Arionis, quem ille, antequam medias in undas desiluit, emisit, contulit modis lugubribus cycni morientis:

flebilibus veluti numeris canentia dura
traiectus pinna tempora cantat olor.

denique Ovidius ut suam ipsius miserabilem condicionem in exilio illustraret, eadem similitudine usus est Trist. V 1, 11 sqq.:

utque iacens ripa deflere Caystrius ales
dicitur ore suam deficiente necem,
sic ego, Sarmaticas longe proiectus in oras,
efficio, tacitum ne mihi funus eat.

Sed iam ad Lucretium nos vertamus, qui IV 545 sq. docturus vocis primordia non eadem forma aures intrare eam rem hoc quoque exemplo illustrat:

et cycni tortis convallibus ex Heliconis
cum liquidam tollunt lugubri voce querellam.

quem locum si legeris, profecto nulla inter hunc et Ovidianos intercedere tibi videbitur similitudo. at haec non est codicum scriptura, in quibus 'et validis necti' (sic oblongus, qui a correctoris manu idem praebet quod quadratus 'nete') 'tortis ex Heliconis' legitur, sed Lachmanni coniectura meo quidem iudicio neutiquam probanda. nam ut taceam illam longius recedere ab eis, quae in libris manu scriptis leguntur, nonne mirum est cycnos cantus lugubres effundere causa, quae luctum infert, omnino non indicata? nam neque senectus extrema neque mors alia ex causa

imminens vel uno verbo in hac scriptura commemoratur. idem valet de Isaaci Vossii coniectura a Munrone recepta 'et validis cycni torrentibus ex Heliconis', in qua praeter ea displicet 'validis' cum 'torrentibus' coniunctum, ut omittam nullo loco torrentes in Helicone commemorari. cuius montis hoc loco propter ea mentionem fecit Lucretius, quod cycnos utpote aves Apollinis Musarumque sacras in Helicone habitavisse consentaneum est. quae cum ita sint, nihil aliud puto restat nisi ut ad coniecturam iam ab Avantio propositam revertamur, qui hunc versum ita scribendum esse censuit: 'vallibus et cycni nece detorti ex Heliconis'. quae coniectura et ad codices propius accedit et simul causam cantus lugubris indicat. ac facile concesseris 'vallibus et' mutari potuisse in 'et vallibus', quod cum metro non conveniret, librarius 'et validis' scripsit, coniectura sane inepta, sed quae ei ex syllabarum mensura sufficere videbatur. 'nece' autem corruptum est in 'nete vel 'neti', unde littera c ab correctore supra scripta ortum est 'necti' et 'cycni' ante 'necti' intercidit propter huius vocis cum insequenti similitudinem. denique utrum cum Avantio scribendum sit 'detorti' an, quod magis mihi adridet, 'contorti', in medio relinquam. certe non abhorret ab hoc loco verbum torquendi ab Lucretio eodem fere sensu altero loco III 490 adhibitum. vides iam hac scriptura recepta similitudinem quandam inter Lucretii locum et imagines ab Ovidio usurpatas existere. quae quamquam non ita comparata est, ut Ovidium in hac imagine adhibenda Lucretium esse secutum pro certo adfirmare possis, tamen suspicor eum Lucretium potius imitatum esse quam Aeschylum et Euripidem, cum et minor inter horum et Ovidii locos sit similitudo et Ovidium imagines suas rarissime ex poetis tragicis hausisse constet.

Sed haec quidem hactenus; veniamus iam ad alterum exemplum imaginis ex animalibus petitae, in quo mihi quidem Ovidius aperte Lucretii vestigia pressisse videtur. etenim Trist. V 9 ille amici fidem laudat, cuius beneficia se libenter omnibus nota facturum fuisse dicit, si ille in poetae libris se nominari pateretur. 'aegre' dicit Ovidius vv. 25 sqq. 'mea Musa se continet, quamvis sit iussa silere, quin te nominet:

utque canem pavidae nactum vestigia cervae
luctantem frustra copula dura tenet,

utque fores nondum reserati carceris acer
nunc pede, nunc ipsa fronte lacessit equus,

sic' pergit poeta 'mea Thalia retenta atque repressa lege imposita optat sequi laudes nominis vetiti'. quibus in similitudinibus conscribendis duos spectavit locos Lucretianos. ac primum quidem eum ante oculos habuisse contenderim Lucret. II 263 sqq.:

nonne vides etiam patefactis tempore puncto
carceribus non posse tamen prorumpere equorum
vim cupidam tam de subito quam mens avet ipsa?

habent enim utriusque poetae loci hoc commune, quod utrubique vis cupida equorum, qui e carcere effugere cupiunt, pulcherrime describitur. verum tamen inter utrumque locum non nihil interest. nam Lucretius comprobaturus motus a corde fieri et primum procedere ex animi voluntate indeque per totum corpus et omnia membra dispergi equorum profert exemplum, qui carceribus subito patefactis ad cursum proni tamen non possunt ilico prorumpere. contra Ovidius equum portas carceris nondum aperti fronte petentem inducit, qua in variatione ars et ingenium poetae dilucide conspicitur. nam sane quidem sagacissimum sese praestitit Ovidius eo quidem, quod descriptionem Lucretianam ita variavit, ut pulcherrima inde atque perfecta prodiret similitudo.

Sed ne forte de ea re propter discrimen illud, quod supra commemoravi, dubites, iam ad alterum Lucretii locum, quem Nasonem ante oculos habuisse contendo, animum advertas, dico l. IV vv. 987 sqq.:

quippe videbis equos fortis, cum membra iacebunt,
in somnis sudare tamen spirareque semper
et quasi de palma summas contendere viris
aut quasi carceribus patefactis . . . .
venantumque canes in molli saepe quiete
iactant crura tamen subito vocesque repente
mittunt et crebro redducunt naribus auras,
ut vestigia si teneant inventa ferarum . . .

quibus versibus cum eis, quos supra legisti, collatis videbis, quantam vim locorum memoria coniunctorum recordatio in Ovidii mentem exercuerit. videlicet cum priorem locum Lucretianum in usum suum convertisset, statim ei propter similitudinem alter locus Lucretianus, ubi simili ratione equus carceribus patefactis cursu contendens exhibetur, in mentem venit. atque

cum haec equi de palma certantis descriptio Lucretiana ea excipiatur, quae ad canem venatorium pertinet, consentaneum est Ovidium huius quoque descriptionis recordatum ambas illas excogitasse similitudines, quibus pulcherrime cupiditatem suam amici celebrandi illustravit.

Neque redarguitur haec coniectura eo, quod Zingerleus II 11 alteram Ovidii imaginem ad canem venatorium pertinentem coniungendam esse putavit cum Ennii fr. 344 V.:

sicut si quando vinclis venatica velox
apta solet canis forte feram sei nare sagaci
sensit, voce sua nictit ululatque ibi acute.

nam praeterquam quod inter hunc locum et Ovidii imaginem huc pertinentem prorsus nulla intercedit externa similitudo, hos versus Ennianos multo aptius inter eas imagines e venatione petitas collocandas esse statuam, in quibus canis feras quasdam persequens inducitur. itaque hoc Ennii fragmentum reapse in tertia huius dissertationis parte comparaturus sum cum Apollonii Arg. II 278 sqq., Vergilii Aen. XII 749 sqq., Ovidii Met. I 533 sqq., quarum omnium imaginum ad venationem pertinentium fundum Homerum ea similitudine, quae extat Il. χ 189 sqq., iecisse perspexit Zingerleus l. c.[21])

Ut autem id quoque obiter attingam, Lucretio, si canes venatorios in somno vestigia odorantes induxit, fortasse haec Theocriti similitudo XXI 44 sq. obversata est:

καὶ γὰρ ἐν ὕπνοις
πᾶσα κύων τε λαγῶν μεταcεύεται, ἰχθύα κήγών.

Possem iam ad novam familiam similitudinum ex animalibus petitarum transire, nisi res flagitaret, ut aliam quoque imaginem ab equo petitam, etsi huius origo neutiquam a Lucretio repetenda est, hoc loco tractarem. Met. III 704 sqq. enim Penthei furor, qui bacchantium ululatibus auditis novatur, hac depingitur similitudine:

---

[21]) Ceterum quae legitur epist. XVII 165 sq. de Leandri brachiis similitudo et ipsa ex equo cursu concertante petita:

protinus illa valent atque ad sua praemia tendunt,
ut celer Eleo carcere missus equus,

ea deprompta est ex Tibulli I 4, 31 sq., id quod iam versu altero, qui fere totus conspirat cum Tibulliano, demonstratur.

ut fremit acer equus, cum bellicus aere canoro
signa dedit tubicen, pugnaeque assumit amorem,
Penthea sic ictus longis ululatibus aether
movit, et audito clamore recanduit ira.

qua in imagine conscribenda possis conicere Ovidium Lucretii locum V 1073 sqq. ante oculos habuisse:

denique non hinnitus item differre videtur,
inter equas ubi equus florenti aetate iuvencus
pinnigeri saevit calcaribus ictus amoris,
et fremitum patulis ubi naribus edit ad arma,
et cum sic alias concussis artibus hinnit?

quo cum loco apte conferas ea, quibus Vergilius pulli superbiam atque pugnandi amorem describit Georg III 83 sqq.:

. . . *tum, si qua sonum procul arma dedere,*
stare loco nescit, micat auribus et tremit artus,
collectumque premens volvit sub naribus ignem.

sed multo propius quam hi loci ad illam imaginem Ovidianam ea accedit Aeschyli similitudo, ex qua furens Tydeus Sept. 391 sqq. confertur cum equo bellatore pugnandi cupiditate inflammato:

τοιαῦτ' ἀλύων ταῖς ὑπερκόποις σαγαῖς
βοᾷ παρ' ὄχθαις ποταμίαις, μάχης ἐρῶν,
ἵππος χαλινῶν ὥς κατασθμαίνων μένει,
ὅστις βοὴν σάλπιγγος ὁρμαίνει κλύων.

haec certe Aeschyli similitudo tam aperte congruit cum illa Ovidii imagine supra prolata, ut vix casu quodam accidisse statuas, ut et Ovidius et Aeschylus eadem similitudine eadem ratione instituta alicuius furorem illustraverint. atque Nasonem huius quidem imaginis Aeschylei recordatum esse eo facilius credi potest, quod totus locus Aeschyleus orationis quadam pulchritudine inter ceteros excellit eoque magis legentium animos tenet. prorsus autem hanc coniecturam conficere videtur id, quod in eadem Aeschyli fabula paulo infra vv. 461 sqq. similis reperitur equi bellatoris descriptio, qua re conicias similitudinem illam in Ovidii mente magis etiam infixam esse.

Quodsi ipsius Aeschyli imaginis fundum investigamus, ad illam Homeri similitudinem omnibus notam nobis redeundum esse opinor, ex qua Hector Parisque ad pugnam festinantes equo similes vocantur, qui rupto capistro luxurians in pascua properat; cf. Il. Ζ 506 sqq.:

ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ,
δεσμὸν ἀπορρήξας θείῃ πεδίοιο κροαίνων,
εἰωθὼς λούεσθαι ἐϋρρεῖος ποταμοῖο,
κυδιόων· ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται
ὤμοις ἀΐσσονται· ὁ δ' ἀγλαΐηφι πεποιθώς,
ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετά τ' ἤθεα καὶ νομὸν ἵππων.

eadem imago repetitur Il. ο 263 sqq.

Vix aliam praeter hanc Homeri similitudinem invenies, qua magis delectati sint omnium fere aetatum poetae, quippe qui hunc locum potius aemulati quam imitati sint. sic Apollonius hanc similitudinem eodem modo variavit, quo eam apud Aeschylum variatam videmus, ita scilicet, ut equum bellicum proelium appetentem exhiberet, quocum Iason membrorum robore exultans confertur Arg. III 1258 sqq.:

ὡς δ' ὅτ' ἀρήϊος ἵππος ἐελδόμενος πολέμοιο
σκαρθμῷ ἐπιχρεμέθων κρούει πέδον, αὐτὰρ ὕπερθεν
κυδιόων ὀρθοῖσιν ἐπ' οὔασιν αὐχέν' ἀείρει.

quam Homericae similitudinis variationem Apollonium nequaquam Aeschylo debere, sed ex suo deprompsisse ingenio inde probabile fit, quod inter utriusque poetae locum non ea intercedit similitudo, ut imitationem factam esse nobis statuendum sit. immo apertae allusiones ad Homeri exemplum supra propositum plane demonstrant poetam Alexandrinum huius locum ante oculos habuisse.

Sed accuratius, ne dicam serviliter eandem Homeri imaginem imitati sunt Ennius fr. 503 V.:

et tum sic ut equus qui de praesepibus fartus
vincla suis magnis animis abrupit et inde
fert sese campi per caerula laetaque prata
celsa pectore, saepe iubam quassat simul altam,
spiritus ex anima calida spumas agit albas.

et Vergilius, qui Aen. XI 492 sqq. Turni alacritatem omnia, quae ad urbem Laurentum defendendam opus erant, parantis sic illustrat:

qualis ubi abruptis fugit praesaepia vinclis
tandem liber ecus campoque potitus aperto
aut ille in pastus armentaque tendit equarum
aut adsuetus aquae perfundi flumine noto
emicat arrectisque fremit cervicibus alte
luxurians, luduntque iubae per colla, per armos.

certe hi versus ita sunt comparati, ut imitatio sponte agnoscatur, quem ad modum eam iam olim Macrobius Sat. VI 3, 8 sq. animadvertit. videmus autem illius Homeri imaginis ab equo fugiente petitae frequentes extitisse imitatores et Ovidii quoque similitudinem equum bellicum spectantem neutiquam ad Lucretium redire, sed Aeschylo intercedente ex Homeri fonte fluxisse.

Ad novam familiam similitudinum ex anguis natura petitarum nos convertentes initium capiamus ab ea imagine, cuius exemplum ac fontem, etsi apertissimum est, tamen neminem dum, quod sciam, detexisse equidem valde miror. maxime enim delectati esse videntur poetae Lucretii argumentatione III 657 sqq., qua ille ostendere conatur animam, quae artissimo vinculo cum corpore coniuncta sit, simul cum eo in partes dividi, ita ut singulis animabus singulae relinquantur corporis partes, in quibus illae habitant. quod ut comprobet, praeter alia anguis mutilati profert exemplum:

quin etiam tibi si, lingua vibrante, micanti
serpentem cauda, e procero corpore utrimque,
sit libitum in multas partis discidere ferro,
omnia iam sorsum cernes ancisa recenti
volnere tortari et terram conspargere tabo,
ipsam seque retro partem petere ore priorem,
volneris ardenti ut morsu premat icta dolorem.

quem locum Vergilium ante oculos habuisse evincitur similitudine illa Aen. V 273 sqq., qua navis Sergesti in scopulum illisa et vix inde revolsa remis unius lateris amissis tarde sese movisse dicitur:

qualis saepe viae deprensus in aggere serpens,
aerea quem oblicum rota transit aut gravis ictu
seminecem liquit saxo lacerumque viator;
nequiquam longos fugiens dat corpore tortus,
parte ferox ardensque oculis et sibila colla
arduus attollens, pars volnere clauda retentat
nixantem nodis seque in sua membra plicantem.

itemque manifesta est Ovidii imitatio, qui aptius illam descriptionem Lucretianam in similitudinis usum vertisse putandus est quam Vergilius, utpote cum Philomelae linguam a Tereo excisam humique palpitantem contulerit cum cauda colubrae mutilatae Met. VI 558 sqq.:

ipsa iacet terraeque tremens immurmurat atrae.
utque salire solet mutilatae cauda colubrae,
palpitat et moriens dominae vestigia quaerit.

ceterum num Lachmannus in loco Lucretiano recte scripserit 'micanti serpentem cauda', equidem dubito. nam si quid video, non de tota serpente in plures partes discissa agitur, sed de ea parte, quae pectus et cauda vocatur, a Lucretio autem et caudae et corporis voce (nam idem est in serpente corpus et cauda, cui oppositum est collum) significatur, id quod facile intellegitur ex v. 662 'partem . . . priorem'. quae cum ita sint, codices secutus scribam 'quin etiam tibi si lingua vibrante minanti serpenti' ('serpentis' est in codicibus) 'caudam e' ('caude' habent libri; quod si 'caudae' olim scriptum fuisse statuis, iam colligas, quam facile 'caudāe' in 'caude' abierit) 'procero corpore utrimque' (quod Marullus feliciter pro 'utrumque', quae est codicum scriptura, restituit.). iam vides 'lingua vibrante' coniungendum esse cum 'minanti', 'e procero corpore' autem consociandum cum 'utrimque'. tali igitur modo aptissima huius loci existit conformatio, cum Lachmanni constructionem Munro, qui scripsit 'tibi si lingua vibrante, micanti serpentis cauda e procero corpore, utrumque' lacuna post verbum ultimum indicata, recte contortam esse contenderit.[22])

Sed transeamus ad alias quoque similitudines indidem derivatas, quae non minus aperte descriptionibus quibusdam Lucretianis cognatae sunt. in eodem enim Lucretii libro praeter eam, quam modo tractavimus, argumentationem ex angue mutilato petitam, qua comprobatur animos simul cum corporibus nasci et interire, paulo ante vv. 612 sqq. altera eiusdem generis extat:

quod si inmortalis nostra foret mens,
non tam se moriens dissolvi conquereretur,
sed magis ire foras vestemque relinquere, ut anguis.

quo loco quae sit ratio exempli prolati, suspicari poteris e verbis 'vestem relinquere' et compertum habebis, si locum in initio libri sequentis vv. 60 sqq. perlustraveris, ubi Lucretius variis exemplis probaturus a rerum superficie tenuissima quaedam et subtilissima simulacra emitti, hanc anguis descriptionem exhibet:

---

[22]) p. 143 'and after all his construction is very forced'.

. . . et item cum lubrica serpens
exuit in spinis vestem: nam saepe videmus
illorum spoliis vepres volitantibus auctas.

has ad descriptiones sine dubio sese composuit Vergilius, cum Aen. II 471 sqq. Pyrrhum telis et luce coruscum aëna hac illustret similitudine:

qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus,
frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
nunc positis novos exuviis nitidusque iuventa
lubrica convolvit sublato pectore terga,
arduos ad solem, et linguis micat ore trisulcis.

quo cum loco conferatis Georg. III 437 sqq.:

cum positis novos exuviis nitidusque iuventa
volvitur aut catulos tectis aut ova relinquens
arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.

itemque huc referendus est Tibulli locus I 4, 35 sq., quo eadem sententia continetur:

crudeles divi! serpens novus exuit annos:
formae non ullam fata dedere moram.

denique apud Ovidium Met. IX 267 sq. Hercules, postquam flammis exustus est atque membra morti obnoxia deposuit, parte sui potiore viget et coepit videri maior et fieri colendus veneranda gravitate:

utque novus serpens posita cum pelle senecta
luxuriare solet squamaque nitere recenti.

qua in re Ovidium Vergilii et Tibulli locos memoria sua tenuisse et per se credibile est et inde eficitur, quod cum Marone participium 'positus' commune habet, ex hoc autem 'novus serpens' accepisse putandus est. ac recte Kornius in editione sua reiecit Burmanni coniecturam 'virere' pro 'nitere' scribi iubentis, quoniam hoc quidem verbum perbene congruere cum Vergilii adiectivo 'nitidus' nemo non videt.

Sed in loco Lucretiano animum quaeso mecum convertas ad versum quendam, quem omnes editores recentiores unanimi consensu eiciendum esse censuerunt. in Aldina priore enim post vv. 612 sqq.:

quod si inmortalis nostra foret mens,
non tam se moriens dissolvi conquereretur,
sed magis ire foras vestemque relinquere, ut anguis,

hic legitur versus:

gauderet, praelonga senex aut cornua cervus.

quae verba tantum abest, ut a sensu totius loci discrepent, ut eis omissis mihi quidem tota argumentatio claudicare videatur. quotienscumque enim hunc locum in Lachmanni editione, qui extremum versum ne dignum quidem habuit, quem uncis inclusum proponeret, perlustravi, equidem intellegere nequivi, quo modo huic loco sensus sanus inesse posset, si infinitivi 'ire foras' et 'vestem relinquere' simul cum verbo 'dissolvi' penderent de verbo 'conquereretur'. nam nisi insanire voluit poeta, hanc argumentationem, ut suam comprobaret sententiam, nullo pacto adhibere potuit: 'quodsi immortalis nostra foret mens, non tam moriens quereretur se dissolvi, sed magis quereretur se ire foras vestemque relinquere'. etenim verba 'dissolvi' et 'ire foras vestemque relinquere' nequaquam eam ecficiunt oppositionem, ex qua poeta sibi colligendum esse putet animam mortalem esse; immo causa, cur anima moriens queratur, ignota est et ipsa demum ex argumentatione sequitur animam ob dissolutionem suam queri. vel ut idem alia ratione dicam apertius, non sic argumentatur Lucretius: anima moriens queritur se dissolvi, non autem queritur se foras ire vestemque relinquere, ergo ea mortalis est. quam argumentationem neque debuit neque potuit adhibere, quandoquidem, cur anima queratur, omnino notum non est, immo causa querelae ex argumentatione demum poetae elicienda est. sed forsitan dicas: quid? nonne ex eis, quae antecedunt, clarissime adparet Lucretium pro certo habuisse animam ob dissolutionem suam queri? qua dubitatione ne in errorem inducamur, age perlustremus versus antecedentes et videamus, num re vera apud Lucretium extra omnem dubitationem positum sit animam morientem ob dissolutionem suam queri. sunt enim versus hi:

nec sibi enim quisquam moriens sentire videtur
ire foras animam incolumem de corpore toto,
nec prius ad iugulum et supera succedere fauces,
verum deficere in certa regione locatam;
ut sensus alios in parti quemque sua scit
dissolvi.

quibus versibus accurate perpensis quis contendere audebit Lucretium utique verum posuisse animam morientem ob dissolutionem

suam, non ob emigrationem queri, et hoc fundamento posito suam superstruxisse argumentationem: 'ergo, quia constat animam ob dissolutionem suam queri, ea mortalis est'? nonne clarissime dicit 'videtur anima ob dissolutionem suam queri', et nonne illud 'videtur' sequenti demum argumentatione ad liquidum planumque sic deducitur: 'nam si anima immortalis esset, non tam moriens quereretur se dissolvi, sed magis gauderet se foras ire vestemque relinquere'? ergo ea, quae antecedunt, tantum abest ut in argumentum trahi queant, quo comprobetur oppositionem totius argumentationis positam esse in verbis 'dissolvi' et 'ire foras vestemque relinquere' — quoniam Lucretius omnino non pro certo habuit neque habere debuit animam morientem ob dissolutionem suam queri —, ut ex eis clarissime dispiciatur poetam in incerto habuisse, num re vera anima moriens ob dissolutionem suam queratur, et hanc quaestionem sequenti demum argumentatione ad liquidum planumque deducere voluisse. quid quod illa argumentatio eo ipso, quod Lucretius in hac libri parte mortalem animae naturam duodetriginta argumentis demonstrare conatur, sat superque reicitur. nam si constaret animam ob dissolutionem suam queri, nonne per sese intellegeretur eam mortalem esse? tum profecto tota quaestio, num mortalis sit anima, liquidissima foret et mirum in modum Lucretius in hoc libro aliquid argumentorum cumulo comprobaturus esset, quod omnino argumentatione careret, scilicet animam, quam morientem ob dissolutionem suam queri constat, post mortem dissolvi, hoc est mortalem esse.

Sed res longe aliter se habet. dubium enim esse nequit, quin Lucretius a duabus proficiscatur sententiis de mortis natura, praeter quas tertia cogitari non potest, scilicet ea, ex qua anima moriens dissolvitur, qua cum dissolutione querela animae coniuncta est, et ea, ex qua anima moriens corpus tantummodo relinquit, qua cum emigratione gaudium animae coniunctum est. atque hoc fundamento ille suam argumentationem superstruit hac ratione: 'anima moriens non gaudet; ergo non foras it vestemque non relinquit; sed queritur, ergo ea dissolvitur, hoc est mortalis est'. patet igitur illam priorem argumentationem, quae versu illo omisso eficitur, praeterquam quod ea totius instituti ratione redarguitur, per se mancam esse et imperfectam idque duabus e causis, primum, quod causa, cur anima queratur, nequaquam nota est,

sed id tantummodo constat animam morientem omnino queri, non gaudere, deinde quod, etiamsi concedamus Lucretium illud pro certo et cognito habuisse animam morientem ob dissolutionem suam, non ob emigrationem queri, tamen ipsae notiones 'dissolutionis' et 'emigrationis' neutiquam ita inter se oppositae sunt, ut coniunctionibus adversativis 'non tam . . . sed magis' respondeant. et fortasse ferri possit talis sententiarum conexus, si particula 'magis' omittatur; verum haec quidem particula nonne flagitat, ut aliquid sequatur, quod priori sententiae plane contrarium sit, ita quidem, ut notioni 'dissolutionis' neutiquam 'emigrationis' notio, sed ea 'oriendi' vel similis verbi recte opponatur? si vero negamus vim oppositionis, quae inest in verbis 'dissolvi' et 'ire foras vestemque relinquere' bene respondere coniunctionibus illis adversativis, per se patet poetam verbum 'conquereretur' opposuisse alicui verbo sequenti contrariae significationis. quae cum ita sint, quidnam aliud neccessario hoc loco requiritur quam verbum gaudendi, cui nihil magis contrarium est quam illud verbum conquerendi? illo igitur reposito iam omnes evanescunt difficultates, quoniam sic interpreteris hunc totum locum: quod si mens nostra foret immortalis, non iam moriens quereretur se dissolvi, sed potius gauderet se ire foras corpusque, quo vestitur, relinquere, ut serpens. neque vero in cervo eadem in imagine cum angue coniuncto quicquam est, quod reprehendas. cuius rei Nasonem ipsum prodire testem iubeo, qui A. A. III 77 sq. in universum disputaturus, quam cito pulchritudo evanescat, has profert sententias:

anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas,
nec faciunt cervos cornua iacta senes.

si igitur, id quod dicit Lachmannus, Marullus versum illum de sua officina addidit, sine dubio in ea re usus est loco Ovidiano. at dubitare licet de hac re. quid enim impedit, quo minus statuamus Ovidium locum Lucretianum ante oculos habuisse et utramque imaginem, qua ille sententiam suam exornavit, in usum suum convertisse? nam quamquam exemplar Poggianum a grammaticis Italicis temere interpolatum esse constat, tamen non ex codice oblongo, sed ex altero, qui frater eius gemellus fuit, originem duxit. ac nonne in hoc libro eodem modo, quo in quadrato excidit versus 615, intercidere potuit versus ille, quem Marullo

tribuunt? sed haec res accuratiore demum de codicibus Italicis quaestione instituta ad liquidum perduci poterit.[23])

Similitudinibus ad animalia pertinentibus recensitis, quibus Ovidius Lucretii spectavit auctoritatem, iam ad novam classem imaginum ex eis rebus petitarum, quae sua ipsa natura fluunt, accedamus. qua in re initio mentem nostram ad sententiarum seriem advertamus oportet, quae, etsi maximam partem ab hoc similitudinum genere alienae sunt, tamen simul cum eis optime tractantur, quia hac ratione eo certius atque evidentius de earum origine poterit iudicari.

Zingerleus enim II 14 scite observavit, quam multum ad poetas Romanos ea valuerit descriptio Lucretiana in l. I, qua ille demonstrare conatur omnia redeuntibus annis deteri atque consumi; cf. vv. 312 sqq.:

---

[23]) Hunc disputationis locum explesse non videremur, nisi verbo saltem de eiusdem generis similitudinibus, quae apud Apollonium et Homerum leguntur, exponeremus, ut coniectura opinantium Ovidium aliquatenus ad illorum exempla sese adplicasse, prorsus evanesceret. Bussenius enim in commentatione de Valerii Flacci in comparationibus adhibendis usu p. 11 alteram Vergilii imaginem Aen. II 471 sqq., ex qua serpens positis exuviis nitida exhibetur, cum Apollonii similitudine Arg. IV 1539 sqq. contendit, ubi Argo paludis ostium quaerens oberrabat

ὡς δὲ δράκων σκολιὴν εἰλιγμένος ἔρχεται οἶμον,
εὖτέ μιν ὀξύτατον θάλπει σέλας ἠελίοιο·
ῥοίζῳ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα κάρη στρέφει, ἐν δέ οἱ ὄσσε
σπινθαρύγεσσι πυρὸς ἐναλίγκια μαιμώοντι
λάμπεται, ὄφρα μυχόνδε διὰ ῥωχμοῖο δύηται.

sed me multo maiore iure eandem Vergilii imaginem cum Lucretianis descriptionibus supra propositis contulisse facile concedes, quandoquidem utrubique anguis vestem exuens inducitur, Apollonii autem imago cum Vergiliana collata nihil fere commune habet, nisi forte putas hunc, si 'anguem arduum ad solem et linguis ore trisulcis micantem' exhibet, illud σέλας ἠελίοιο et μαιμώοντι expressisse. multo aptius autem sine dubio eadem Apollonii imago cum priore Vergilii similitudine Aen. V 273 sqq. ex anguis mutilati natura petita comparabitur, propterea quod uterque poeta anguis imaginem ad unam eandemque rem illustrandam adhibuit, scilicet ut navis cursus huc illuc oberrantis adumbretur. unde patet Vergilium praeter Lucretii anguis mutilati descriptionem etiam Apollonii similitudinis recordatum esse. ipse vero Apollonius manifesto sese composuit ad Homerum, qui Il. χ 93 sqq. Hectorem non recedentem confert cum dracone mala venena pasto et virum exspectante.

anulus in digito subter tenuatur habendo,
stilicidi casus lapidem cavat, uncus aratri
ferreus occulte decrescit vomer in arvis,
strataque iam volgi pedibus detrita viarum
saxea conspicimus.

eadem sententia de gutta aquae decidente reperitur IV v. 1286 sq.:

nonne vides etiam guttas in saxa cadentis
umoris longo in spatio pertundere saxa?

ubi ea exempli munere fungitur, quo explicetur amorem consuetudine conciliari. videntur autem hae aliaeque sententiae huc spectantes apud Graecos proverbii locum obtinuisse, id quod colligitur ex Bionis idyll. XV:

ἐκ θαμινᾶς ῥαθάμιγγος, ὅκως λόγος, αἰὲν ἰοίσας
χὰ λίθος ἐς ῥωγμὸν κοιλαίνεται,

et ex epigrammate Anth. gr. VII 225:

ψήχει καὶ πέτρην ὁ πολὺς χρόνος, οὐδὲ σιδήρου
φείδεται, ἀλλὰ μιῇ πάντ' ὀλέκει δρεπάνῃ.

quae exempla si respexeris, conicias Lucretium, cum easdem proferret sententias, Graecorum quorundam exemplorum memorem fuisse.

Ex huius ipsius autem imitatione sine dubio nata est ea dissimilitudo, quae apud Propertium legitur II 25, 15 sq. B.:

. . . *teritur rubigine mucro*
ferreus et parvo saepe liquore silex.

verum nihilo minus vehementer errabit, si quis putaverit Propertium priorem sententiam de ferri rubigine soli Lucretii loco supra prolato debere. nam ibidem ferrum non rubigine, sed usu tritum exhibetur. adde quod paulo post docebimus variationem illam ad Vergilii praedium pertinere, cuius persimili loco quodam Propertius excitatus simul cum Ovidio ita a Lucretio descivit, ut ferrum non usu, sed rubigine tritum in similitudinem induxerit.

Ad Ovidium transeuntibus nobis quamquam ex instituto nostro non est sententias (γνώμας) proferre, tamen in praesens a proposito paululum declinare liceat, quoniam sententiae huc pertinentes certo argumenti communis vinculo coniunctae sunt cum similitudinibus eiusdem generis, ita ut non bene ab his seiungi queant. A. A. I 473 sqq. enim Ovidius variis sententiis diversis e rebus petitis comprobare studet nihil esse tam durum, inflexibile, intractabile, quod longo usui non cedat neque eo consumatur.

qua in re iam Zingerleus observavit Nasonem Lucretii locum, quem supra attulimus, adumbravisse:

ferreus adsiduo consumitur anulus usu,
interit adsidua vomer aduncus humo.
quid magis est saxo durum, quid mollius unda?
dura tamen molli saxa cavantur aqua.

porro eodem e fonte manavit dissimilitudo ex P. IV 10, 5 sq., qua Ovidius miseram suam condicionem in exilio hac describit ratione:

gutta cavat lapidem, consumitur anulus usu:
atteritur pressa vomer aduncus humo.

utroque loco continetur Lucretii versuum aperta imitatio, ita tamen, ut exemplorum ordo sit inversus. quibus exemplis iam similitudinem ex Pont. II 7, 39 sqq. adiungamus, quae eidem rei illustrandae inservit, nimirum ut ostendatur, quam multis malis miseriisque afflictus sit poeta in exilio. 'iam' dicit Naso 'dolor meus mutatus est in consuetudinem':

utque caducis
percussu crebro saxa cavantur aquis,
sic ego continuo fortunae vulneror ictu,
vixque habet in nobis iam nova plaga locum.
nec magis adsiduo vomer tenuatur ab usu,
nec magis est curvis Appia trita rotis,
pectora quam mea sunt serie caecata malorum.

videmus autem Ovidium hoc quoque loco anaphorae indulgentem consulto voces repetitas 'nec magis' magna cum vi extulisse, quippe quibus eam quidem sedem tribuerit, quae fortiorem elatioremque pronuntiationem eсficiat. convertit autem poeta hac imitatione in usum suum loco primi exempli Lucretiani ab anulo tenuato petiti quartum exemplum, quod ad strata viarum volgi pedibus detrita pertinet.

Verum ne ea tantummodo, quae iam Zingerleus congessit, hic ruminari videamur, alias quoque proferamus imagines ab illo non observatas, quibus Ovidius non minus spectare videtur Lucretii descriptionem supra commemoratam. epist. XVII 133 sq. enim poeta Leandrum Heroni haec scribentem facit:

iam patet attritus solitarum limes aquarum,
non aliter, multa quam via pressa rota.

qua in similitudine primo fortasse obtutu adstipuleris Iuniani sententiae 'trita' pro 'pressa' conicientis. quia autem iam in

versu antecedenti 'attritus' legitur neque veri simile est librarios lectionem 'trita' hac de re vulgarem sane mutasse in inusitatam 'pressa', in codicum auctoritate acquiescere praestat. denique notetur similitudo ex P. I 1, 70, qua in epistula Ovidius Bruto scribit pectus suum assiduis confici sollicitudinum morsibus:

aequorei scopulos ut cavat unda salis.

qua in re Naso praeter illum Lucretii locum supra propositum ea quoque ante oculos habuisse videtur, quae hic in eodem libro paulo post (v. 326 sq.) exponit, ubi probaturus nullum oculum intueri posse ea, quae natura rebus adponat ab eisque detrahat, saxorum profert exemplum mari impendentium, quae sale edaci paulatim corroduntur:

nec, mare quae inpendent, vesco sale saxa peresa
quid quoque amittant in tempore cernere possis.[24])

Iam vero si ad eas adgrediamur similitudines Ovidianas, quae singulas formas ac partes rerum fluidarum in orbe terrarum spectant, veluti mare, flumina, fontes aliaque huius generis, ante omnia eximium proponam imitationis exemplum, ex quo plane dilucideque dispici potest, quanta cum virtute quantoque cum ingenio poeta descriptiones quasdam Lucretianas in usum suum converterit. valde enim delectatus esse videtur Ovidius ea parte libri VI Lucretiani, in qua ille in causas inquirit, cur aequor ex tot tantorumque fluminum exoneratione non redundet neque omnino augeatur. quam disputationis partem his incohavit versibus (608 sqq.):

principio mare mirantur non reddere maius
naturam, quo sit tantus decursus aquarum,
omnia quo veniant ex omni flumina parte.
adde vagos imbris tempestatesque volantes,
omnia quae maria ac terras sparguntque rigantque:
adde suos fontis: tamen ad maris omnia summam
guttai vix instar erunt unius adaugmen;
quo minus est mirum mare non augescere magnum.

quem locum Ovidius duabus manifesto expressit similitudinibus. ac primum quidem haec maris descriptio breviter tantum adum-

---

[24]) eius modi imagines apud poetas posteriores satis frequentes sunt. qua de re, ut uno defungar exemplo, conferas quaeso Sulpicii Luperci locum Anth. lat. R. 648, 9 sqq.

brata sese offert Met. IV 439 sqq., ubi poeta egregie Stygiam urbem hunc in modum illustravit:

mille capax aditus et apertas undique portas
urbs habet, utque fretum de tota flumina terra,
sic omnes animas locus accipit ille, nec ulli
exiguus populo est, turbamve accedere sentit.

quam similitudinem integram ideo adposui, ut animadvertas, quam penitus Ovidius sese insinuaverit ad vim illius maris descriptionis, quippe quam tam feliciter in usum suum converterit, ut ab omni parte perfecta atque perpolita extiterit similitudo. nam res quoque, quae hac maris descriptione illustratur, ipsam imaginem spectat atque ad eius normam — ut ita dicam — vel rationem instituta est, quoniam exceptis vocibus 'animas' et 'populo' omnia reliqua verba optime quadrant ipsam in imaginem, veluti illud extremum 'non sentit turbam accedere' perbene ipso de mari dici potest, dummodo addatur 'fluminum'.

Sed non minus sagaciter eandem maris descriptionem Ovidius altero loco, qui extat Met. VIII 835 sqq., adhibuit, ubi Erysichthonis fames, quae nullis expleatur epulis, sed semper crescat, his duabus illustratur similitudinibus:

utque fretum recipit de tota flumina terra
nec satiatur aquis peregrinosque ebibit amnes,
utque rapax ignis non umquam alimenta recusat
innumerasque trabes cremat et, quo copia maior
est data, plura petit turbaque voracior ipsa est:
sic epulas omnes Erysichthonis ora profani
accipiunt poscuntque simul.

quibus in imaginibus non minus ars et lima auctoris agnoscitur — si omnino apud poetam, qualis Ovidius erat, de lima cogitari licet. nam probe perspiciens, quam vim alliteratio in lectores exerceat, ipsam rem non solum litterarum sono, verum etiam illo ornamento adhibito optime significavit. si vero Ovidius tam prospere imaginem e maris natura petitam coniunxit cum similitudine ex ignis vi atque natura deprompta, hac in re poeta neutiquam sine aliqua incitatione fuisse putandus est, immo eum hanc ad imaginum copulationem idem Lucretii locus supra adnotatus excitavisse videtur, utpote cum ibidem maris descriptio statim ea excipiatur, quae ad Aetnae montis eruptiones pertinet. nam cum Lucretius causis, cur mare ex tot tantorumque fluminum effusione in suam vora-

ginem non augeatur, explanatis iam novam disputationis partem sic incohet:

nunc ratio quae sit, per fauces montis ut Aetnae
expirent ignes inter dum turbine tanto,
expediam:

quid iam apertius quam Ovidium huius quoque disputationis partis recordatum illas ambas excogitavisse similitudines, quibus tam pulchre famem rabidam et insatiabilem Erysichthonis illustravit? certe favet quam maxime huic sententiae etiam id, quod illud Lucretianum 'turbine tanto' et omnino tota, quae sequitur, descriptio ignem voracem atque ingentem spectat, qua cum re Ovidii quoque imaginem ignem 'turba ipsa voraciorem' spectantem prorsus conspirare nemo non videt.

Sed haud praetereundus est fructus, quem ex hac, quam modo statuimus, imitatione redundare existimo in quaestionem quandam ad Lucretii carmina pertinentem, quae, quanta est difficultate atque obscuritate, persaepe ansam dedit interpretibus ad varias easque audacissimas coniecturas proferendas, eam dico quaestionem, num Lucretius carmina sua hac, qualis nunc conspicitur, condicione reliquerit. mirum enim quemque habere debet habuitque Lachmannum, quod Lucretius, postquam in antecedentibus de formidine hominum, ne rerum summa pereat, timentium locutus est, statim v. 608 sq. sic pergit:

principio mare mirantur non reddere maius
naturam . . .

nam plane interruptus est contextus totius disputationis, quandoquidem haec verba cum antegressis nullo pacto possunt coniungi eaque de causa non habent, quo referantur. et omnino vel maxime nobis offendendum est in eo, quod, cum Lucretius v. 50—55 huius libri indicaverit se de rebus admirandis disputaturum esse, quarum causas homines non intellegant, tamen in sequenti de formidine agit, non de admiratione, inde autem a versu modo commemorato ea tractat, quae plane ad hominum ignorantium admirationem pertinent. porro vel maxime reputandae sunt dubitationes, de quibus Lachmannus in commentario suo ad Lucretium post has, quas modo exposui, difficultates commemoratas hunc in modum egregie disseruit. 'huc', inquit p. 382, 'accedit quod omnia haec, quibus mare fines suos non excedere demonstrat, non satis

apte collocata sunt inter res multo magis coniunctas: nam a terrae motibus commodius ad Aetnae montis eruptiones quam ad maris continentiam transitur. quae cum ita sint', ita pergit Lachmannus, 'facile est ad cognoscendum ne hic quidem Lucretio per fatum licuisse poema suum absolvere eiusque partes et recte disponere et apta iunctura inter se conectere. atque id vel ex hoc intellegere possumus, quod, cum v. 50 ad libri totius argumentum respiciens dixisset *cetera quae fieri in terris caeloque tuentur mortales*, postea autem v. 83 et 84 nihil nisi μετέωρα promisisset, tamen his pertractatis v. 535 nihil praefatus ad terrestria transiit'. quae quidem Lachmanni ratiocinatio, quis non videt, quam luculenter comprobetur atque confirmetur illa, quam supra statuimus, imitatione Ovidiana? nam ingeniosi viri acumen non fugit hanc totam, de qua quaerimus, partem libri VI Lucretiani neutiquam alium in locum esse transponendam, ut ea descriptio, quae ad terrae motus pertinet, statim excipiatur disputatione de Aetnae montis eruptionibus. etenim si re vera hanc, de qua sermo est, maris descriptionem Lucretii esse sumimus, cuius quin sit, neque Lachmannus dubitat neque alium quendam dubitaturum esse spero, tum ea sine dubio eandem sedem in carmine obtinuit, quam ei ipsi codices tribuunt, quorum cum testimonio Ovidii imitationem easdem maris et ignis descriptiones eodem ordine inter se coniungentis prorsus conspirare nemo non videt. ergo unice vera est illa Lachmanni coniectura statuentis Lucretio per fatum non licuisse poema suum absolvere. nam quanam alia ratione et aliae difficultates, quas multis locis poematis perversa singularum partium iunctura praebet, et haec, quam supra exposuimus, dispositio satis inepta explicari possunt!

Pergo ad similitudinem ex Nili fluminis natura petitam, quae versuum numero, quos complectitur, omnes reliquas superat imagines Ovidianas, quas partim iam tractavimus, partim in sequenti tractaturi sumus. qua in re totum locum Ovidianum, non solum ipsam imaginem, verum etiam res, quae illustratur, quam diligentissime examinemus oportet, propterea quod in hac tota descriptione — id quod iamiam probaturus sum — Ovidius Lucretiana tamquam exaggeravit et varios locos in diversis Lucretii libris extantes ante oculos habuit. Met. I 416 sqq. igitur haec leguntur:

cetera diversis tellus animalia formis
sponte sua peperit, postquam vetus umor ab igne
percaluit solis, caenumque udaeque paludes
intumuere aestu, fecundaque semina rerum,
vivaci nutrita solo, ceu matris in alvo,
creverunt faciemque aliquam cepere morando.
sic ubi deseruit madidos septemfluus agros
Nilus et antiquo sua flumina reddidit alveo,
aetherioque recens exarsit sidere limus,
plurima cultores versis animalia glaebis
inveniunt, et in his quaedam modo coepta sub ipsum
nascendi spatium, quaedam inperfecta suisque
trunca vident numeris, et eodem in corpore saepe
altera pars vivit, rudis est pars altera tellus.
quippe ubi temperiem sumpsere umorque calorque,
concipiunt, et ab his oriuntur cuncta duobus.
cumque sit ignis aquae pugnax, vapor umidus omnes
res creat, et discors concordia fetibus apta est.
ergo ubi diluvio tellus lutulenta recenti
solibus aetheriis altoque recanduit aestu,
edidit innumeras species, partimque figuras
rettulit antiquas, partim nova monstra creavit.

iam quicumque aliquantum in Lucretii carminibus versatus est, bene cognitum habet, eum non uno loco, sed multifariam eandem, quam supra legimus sententiam, exprimere, ex qua terram omnia animalium genera procreasse et omnino omnium rerum creatricem esse contendit, ut eam matrem animalium dicere non dubitet. his igitur praemissis iam locos Lucretianos, quos in hac descriptione componenda respexit Ovidius, examinemus. ac primum quidem agamus de loco II 865 sqq., quo Lucretius res sensibiles e principiis nullo prorsus sensu praeditis componi posse docet. 'fatendum est' inquit 'omnes res, quae sensum habent, componi ex insensibilibus principiis, neque ullae res, quae nostrae cognitioni subiacent, hanc contra sententiam pugnant, immo nos manu quasi ducunt hanc ad opinionem et:

credere cogunt
ex insensilibus, quod dico, animalia gigni.
quippe videre licet vivos existere vermes
stercore de taetro, putorem cum sibi nacta est
intempestivis ex imbribus umida tellus.

quo loco cum Ovidii descriptione supra proposita collato certe huius imitatio sponte coarguitur. nam apertum est utrumque

poetam suam descriptionem una eademque ratione instituisse, utpote cum non simpliciter rem ipsam describant et dicant 'e stercore putrido vermes nascuntur', sed verbo communi 'videndi' usi eam elegerint describendi formam, qua observatio exponitur.

Hanc ipsam autem Lucretii descriptionem Ovidii animo eo firmius inhaesisse facile credas, quod eadem sententia simili ratione exposita apud illum paulo post repetitur v. 928 sqq.:

cernimus . . . vermisque effervere, terram
intempestivos quom putor cepit ob imbris,
scire licet gigni posse ex non sensibu' sensus.

verum non minus manifesto quam hi duo loci Lucretiani tertius (V 788 sqq.) imitationem Ovidianam indicat, ubi Lucretius ortum rerum e recenti tellure sic enarrat: 'ut in membris quadrupedum primum pili et saetae, in corporibus avium plumae creantur,

sic nova tum tellus herbas virgultaque primum
sustulit, inde loci mortalia saecla creavit
multa modis multis varia ratione coorta.

. . . .

linquitur ut merito maternum nomen adepta
terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata.
multaque nunc etiam existunt animalia terris,
imbribus et calido solis concreta vapore;

. . . .

tum tibi terra dedit passim mortalia saecla.
multus enim calor atque umor superabat in arvis:
hoc ubi quaeque loci regio opportuna dabatur,
crescebant uteri terram radicibus apti;
quos ubi tempore maturo pate fecerat aestus
infantum, fugiens umorem aurasque petessens,
convertebat ibi natura foramina terrae
et sucum venis cogebat fundere apertis
consimilem lactis, sicut nunc femina quaeque
cum peperit, dulci repletur lacte, quod omnis
impetus in mammas convertitur ille alimenti'.

quos versus omnes primo fortasse obtutu cumulandi studio abreptus exscripsisse tibi videor. sed quicumque totum hunc locum accuratius perlustraverit atque contulerit cum illa Ovidii descriptione supra proposita, eum libenter concessurum esse spero hoc crimen iniuria in me conferri, quia Ovidius ex hac descriptione Lucretiana plurima deprompsit atque in usum suum convertit. nam si singula spectamus, ante omnia notandum est id,

quod Lucretius v. 795, qui paulo infra v. 821 repetitur, terram iure matrem adpellari asseverat. qua adpellatione eum tamquam imagine usum esse ex eis, quae subsecuntur, elucet, quibus terram propter pariendi similitudinem comparavit cum matre, quae quidem similitudo porro continuatur v. 826 sq.:

sed quia finem aliquam pariendi debet habere,
destitit, ut mulier spatio defessa vetusto.

hanc ipsam autem imaginem sine dubio Ovidius ante oculos habuit, cum haec scripsit 'fecunda semina rerum vivaci nutrita solo ceu matris in alvo'. cui sententiae vel maxime favet id, quod 'alvus' idem fere significat ac Lucretianum 'uterus', quod extat in v. 808, quamquam inter utrumque locum nonnihil intercedit. nam cum Ovidius vocem illam illustrandi causa adhibuerit, Lucretius animalia et ipsos homines re vera ex uteris terrae adhaerentibus seu folliculis erupisse docet. quo tamen discrimine nequaquam mea infirmatur sententia, si quidem verum est, quod tam saepe hac in dissertatione diximus, singularum imitationum fidem communi utriusque loci argumento augeri atque unamquamque imitationem vicinis imitationibus e proximis Lucretii versibus petitis stabiliri. nam illud potissimum hoc quidem loco reputes velim, hanc imaginem a matre petitam apud utrumque poetam in uno eodemque extare argumento atque uni eidemque rei illustrandae inservire, ut demonstretur terram materna cura liberos suos nutrire.

Si vero ad singulas sententias ipsas utriusque loci mentem advertimus, etiam hac in re non potest nos effugere similitudo, quae inter utrumque poetam intercedit. nam quaerenti, qua tandem condicione e Lucretii doctrina terra animalia et procreaverit et adhuc procreet, statim respondent v. 797 sq.:

multaque nunc etiam existunt animalia terris,
imbribus et calido solis concreta vapore;

et v. 806:

multus enim calor atque umor superabat in arvis.

qua cum sententia prorsus conspirat Ovidius, cum tellurem animalia peperisse dicit 'postquam vetus umor ab igne percaluit solis' et paulo infra v. 430 sq., qua ratione animalia procreentur, exponit his verbis:

quippe ubi temperiem sumpsere umorque calorque,
concipiunt, et ab his oriuntur cuncta duobus.

videmus autem Nasonem ea, quae Lucretius praebet, multo clarius et apertius expressisse, utpote cum plane dicat 'ab his', scilicet ab umore caloreque, cuncta oriri animalia, quem sensum e Lucretii verbis obiter inspectis vix statim elicias.

Porro ad animalia ipsa, quae e terra oriuntur, si te converteris, non minus apertus adparebit consensus utriusque loci, etsi in hac re Ovidius ab auctore suo consulto leviter declinasse putandus est. nam cum Lucretius 'tellurem mortalia saecla creavisse' dicat

multa modis multis varia ratione coorta,

Ovidius eandem rem v. 416 sq. sic exprimit:

cetera diversis tellus animalia formis
. . . *peperit* . . .

et v. 434 sqq.:

. . . *tellus* . . .
edidit innumeras species, partimque figuras
rettulit antiquas, partim nova monstra creavit.

patet igitur Nasonem in eadem re describenda cum auctore suo certantem huius sententiam superare voluisse, quoniam id, quod ille repetito adiectivo 'multus' non inepte indicaverat, permulta animalia terram procreasse, Ovidius adiectivo 'innumerus' adhibito melius atque fortius expressit.

Quae cum ita sint, iam nemo puto infitiabitur Ovidium in descriptione sua hunc quoque locum Lucretianum ante oculos habuisse, praesertim cum is, de quo sermo est, Lucretii locus in libro quinto extet, quem Ovidium penitus memoria sua tenuisse iam cognovimus. qua re eisdem fere sententiis de terra animalia procreante licet aliorum et poetarum et philosophorum scripta referta fuerint atque eandem imaginem a matre petitam licet ab aliis poetis recipere potuerit Ovidius, contendo tamen poetam Lucretii auctoritatem spectasse, propterea quod vix miro quodam casu accidere potuit, ut locus quidam Lucretianus tam bene conveniat cum quadam Ovidii descriptione, ut non solum utriusque loci argumenta, verum etiam singulae partes aperte inter sese respondeant. quin etiam singula verba manifesto fontem nobis indicant, ex quo Ovidius descriptionem suam hausit. nam ut nihil dicam de verbis loco utrique communibus, qualia sunt 'calor, umor, tellus' (non 'terra'), 'aestus', quae omnia in Lucretii poemate sescentis fere locis inveniri, qui aliquatenus id degustaverit, bene

cognitum habebit, certe eiusdem loquendi rationem indicat illud 'semina rerum' in v. 419, quae verborum coniunctio apud Lucretium legitur II 677 et 833, quorum locorum alter paulo ante descriptionem illam, quam primo loco posuimus, invenitur.

Videmus igitur in illa, quam supra proposuimus, descriptione Ovidiana non solum complures Lucretii imitationes inveniri, sed omnino totum Ovidii locum Lucretianum sermonem redolere et tamquam eius coloribus ornatum atque distinctum esse. at ne quis opinetur Ovidium in descriptione sua id habere propriae sibi dotis, quod Nili flumen per imaginem induxerit, iam extremum Lucretii locum prodire iubeo, a quo potissimum imaginis illius origo ducenda est, dico libri VI versus 712 sqq., quibus Nili incrementum vario modo naturaliter explicatur. quae disputationis pars his incohatur versibus:

Nilus in aestatem crescit campisque redundat,
unicus in terris Aegypti totius amnis.
is rigat Aegyptum medium per saepe calorem,
aut quia sunt . . .

certe augetur huius coniecturae probabilitas eo, quod haec Nili descriptio statim eam subsequitur, quae ad Aetnae ignem voracem et ad mare non exundans pertinet, quos locos Ovidium imitando expressisse iam cognovimus. qua re etiamsi hac tota Nili descriptione ne verbo quidem indicatur ex limo huius fluminis animalia nasci, tamen iure suspiceris Nasonem hoc Lucretii loco ad Nili imaginem proferendam excitatum esse.

Descriptioni Ovidianae Nili fluminis imaginem continenti, quam e complurium Lucretii locorum imitatione compositam esse modo demonstravimus, iam similitudinem e fontis natura adponam, quae mihi quidem magnae utilitatis esse videtur ad eam partem libri VI Lucretiani cognoscendam, quae temporum iniquitate amissa est. qua de re quo facilius possit disputari, paulo altius repetendum videtur.

Inter plurima, quae Lachmannus in commentariis ad Lucretium egregie disputavit, insignem locum obtinent ea, quibus demonstravit inter versum 839 et 840 libri VI e codice archetypo schedam excidisse. hoc enim libri loco ea, quae post Nili descriptionem de lacubus Avernis exponuntur, statim excipiuntur disputatione de fontibus ita, ut facile intellegas has partes ab

Lucretio nullo pacto ita inter se coniungi potuisse. qua re postquam Lachmannus calculo sat ingeniose instituto comprobavit nihil obstare, quominus hoc loco schedae unius iacturam factam esse statuamus, iam indicia ex ipso totius loci argumento petita hunc in modum explicat: 'satis' inquit p. 398 'causae esse cur hic (v. 839) lector editoribus Lucretii paulo attentior haereat, demonstrari facillime potest: nam neque ipsa res, quam poeta hic tangit, satis pertractatur neque ab Averno ad frigora et calores fontium sola hac coniunctione, quae est *porro*, interiecta transiri potuit. quid quod testes non desunt, qui nobis eorum, quae hic amisimus, partem rettulerint'. iam in eis, quae secuntur, recte statuit ille hac in parte nunc amissa ea verba sedem habuisse, quae Servius ad Aen. VI 625 Lucretii esse dicit:

non mihi si linguae centum sint oraque centum,
aerea vox.

de argumento autem, quod Lucretius hac in parte tractavit, Lach mannus sic disputat: 'deinde alio loco Servius rem indicat, quam exsecutus fuerit poeta, ubi hoc, quod nos legimus ab eo *exempli causa* positum dicit, ad Georg. IV 51 *pulsam hiemem sol aureus egit. secundum physicos, qui dicunt, quo tempore hic hiems est, aestatem esse sub terris, et versa vice, cum hic aestas, illic hiemem. quod etiam Lucretius exequitur, et trahit in argumentum putealem aquam, quae aestate frigidissima est, hieme vero calidissima*'. quo loco Servii nisus Lachmannus sagaciter suspicatus est duo frustula huc revocanda esse, quorum alterum a Claudio Sacerdote p. 26 servatum verba 'mensibus frigus' continet, alterum vero inest in Charisii loco p. 43 a Lachmanno sic restitutum 'cameraeque caminis'. de extremo denique frustulo huc pertinente, quod ad hanc quaestionem vel maximi est momenti, Lachmannus haec dicit: 'postremo Philargyrium commemorabo, qui ad Georg. III 136 haec habet, *Lucretius* ne oblimet *pro obturet et obcludat.* haec quoque in eadem re locum habere potuerunt: certe cur Lucilio potius tribuenda sint nullam causam video. nam quae Nonius habet p. 229, 1 *Lucretius, Tantus conduxerat omnia torpor*, ea huc pertinere non pugno; quamquam, si *conduxerit* scribendum est, possunt de hiemis tempore dicta esse'.

Quibus coniecturis Lachmannus fortasse quibusdam hariolandi viam atque temere opinandi ingressus esse videatur, quando-

quidem de eius modi frustulis vix certius quicquam statuere licet. sed fortasse coniecturis illis subsidium quoddam accedit ex ea similitudine, qua Ovidius ex P. IV 2, 17 sqq. Severo miseram suam condicionem hunc in modum descripsit:

scilicet ut limus venas excaecat in undis,
laesaque suppresso fonte resistit aqua:
pectora sic mea sunt limo vitiata malorum,
et carmen vena pauperiore fluit.

nam et res ipsa ad argumentum, quod tractavit Lucretius hoc loco, pertinet, et verba redolent colorem Lucretianum, veluti illud 'vena', quod multis aliis Lucretii locis legitur, in primis VI 808 et 946, e quibus unus huic, de qua sermo est, disputationi antecedit, alter non multo post sequitur. atque hoc neutiquam audacius a nobis esse propositum ex ipsa totius loci Lucretiani ratione dispicitur. num enim potuit Lucretius res melius disponere, quam ita, ut, postquam de lacubus Avernis et teste Servio de aestate et hieme sub terris disputavit, his rebus pertractatis iam ad disputationem de fontibus se converteret atque primo loco in causas inquireret, cur fontes interdum resisterent aut modo tenuiore modo largiore aqua fluerent? at dicas e Servii loco plane adparere post disputationem de caloribus et frigoribus, quae sunt sub terris, statim secutam esse eam disputationis partem, quae ad fontium frigora et calores pertinebat. et re vera haec coniunctio primo obtutu maiorem veritatis speciem prae se ferre videtur, quam mei ipsius coniectura, qui Lucretium, postquam materiem, quae a Servio indicatur, pertractavit, ad fontes transeuntem primum de scaturiginibus interdum intermittentibus, ac tum demum de fontium caloribus et frigoribus egisse contendam. nam a caloribus et frigoribus, quae sunt sub terris, multo commodius ad fontium calores et frigora transitur quam ad scaturigines intermittentes aut modo pauperiore modo largiore aqua fluentes. verum nihilo minus in priore, quam proposui, coniectura persto. etenim si mecum statuis Lucretium in hac, de qua quaerimus, parte causas, cur fontes interdum intermitterent, explanasse, nonne veri simile est eum praeter hanc, quae inest in Ovidii similitudine, explicationem ad limum pertinentem aliam quoque exhibuisse e caloribus et frigoribus, quae sub terris sunt, petitam, cum praesertim notissimum sit Lucretium in singulis rebus explicandis neutiquam

unam tantummodo causam proferre solitum esse, sed semper plures explicationes in promptu habere, veluti, cur Nilus intumesceret, tribus causis vel, cur mare non exundaret, quattuor causis prolatis explicavit? atque nescio an hac in parte amissa etiam ea verba, quae Nonius Lucretii esse tradit 'tantus conduxerat omnia torpor', aptam sedem nanciscantur, utpote cum facillimum sit ad credendum Lucretium causam, cur fontes hieme intermitterent vel pauperiore fluerent vena, ita explicasse, ut 'torporem omnia conducere' dixerit.

Quodsi Servius eam, quae nobis servata est, disputationem de fontium caloribus et frigoribus respiciens tradit Lucretium aquam putealem in argumentum traxisse, quo comprobaretur sub terris hiemem esse, cum supra aestas esset, et vice versa, fontem autem modo pauperiore modo largiore aqua fluentem, quem non minus ad eandem sententiam comprobandam in argumentum traxisse nobis videtur Lucretius, ne verbo quidem commemorat, hac re neutiquam offendamur necesse est, quoniam per se patet commentatorem id tantum elegisse argumentum, quod ei certius atque evidentius esse videbatur.

Verum hoc utut est, ea sententia, ex qua Lucretium causam, cur fons interdum intermitteret, ita explicasse opinemur, ut limum venas in undis excaecare diceret, nobis quidem satis certa esse videtur. quid enim perversius esse potest, quam hoc sibi persuadere Lucretium a disputatione de lacubus Avernis ad fontium frigora et calores ea vocula, quae est in v. 840:

frigidior porro in puteis aestate fit umor

interiecta transisse? certe licet verum sit ei per fatum non licuisse poema suum absolvere ac singulas partes et recte disponere et apte inter se conectere, tamen nemo illi sententiae adstipulabitur, quoniam e v. 845, ubi eadem legitur coniunctio porro:

frigore cum premitur porro omnis terra coitque,

clarissime patet hoc adverbium in priore quoque versu eodem sensu adhibitum esse quam in posteriore versu, ita scilicet, ut disputatio de una eademque re continuetur, non autem ab una re ad aliam plane diversam transeatur. si igitur iam ante v. 840 disputatio in fontium natura explicanda versata est, quidnam aliud hac in parte exposuit Lucretius quam fontes quosdam interdum

intermittentes, cum praesertim in eis, quae secuntur, vv. 840 sqq. et 845 sqq. res illae de fontium quorundam frigore et calore satis explicatae esse videantur? et quicumque totam disputationem ad fontium naturam ac vim pertinentem attente perlustraverit, quo modo ei non mirum videbitur Lucretium, cum de variis rebus admirandis, quatenus ad fontes pertinent, egisset, ea, quae fontes intermittentes aut aqua minus larga fluentes spectant, quae res non minus mirae esse videntur, non tractasse? quae cum ita sint hac quoque ratione ad eandem sententiam, quam Ovidii imitatio significare videtur, necessario fere devenimus, quoniam iam coniunctione 'porro' indicatur partem aliquam disputationis de fontium natura intercidisse, e tota autem disputatione de fontibus, quae nobis servata est, concludi potest Lucretium in parte amissa de fontibus id, quod Ovidii imitatio declarat, exposuisse.

Hoc autem loco apte tractabitur imago quaedam Ovidiana ab eis terrae partibus deprompta, in quibus solida et fluida inter se committuntur. etenim A. A. I 619 sq. Ovidius tironi, qui puellam sibi conciliare studet, hoc consilium dat:

blanditiis animum furtim deprendere nunc sit,
ut pendens liquida ripa subitur aqua.

qua in similitudine conscribenda poetam memorem sese praestitisse existimo loci Lucretiani V 251 sqq., ubi ille terrae interitum his argumentis comprobare studet:

principio pars terrai non nulla, perusta
solibus adsiduis, multa pulsata pedum vi,
pulveris exhalat nebulam nubesque volantis,
quas validi toto dispergunt aëre venti.
pars etiam glebarum ad diluviem revocatur
imbribus, et ripas radentia flumina rodunt.

cuius argumentationis quin sententia extrema Ovidii animo obversata sit, nec res ipsa dubitare sinit et id, quod hic locus in libro quinto legitur, quem Ovidium tota mente imbibisse iam multis exemplis allatis comprobavimus, confirmare videtur. verum praeter Lucretium Ovidius in hac imagine conscribenda etiam Propertium spectasse putandus est, qui fortasse eodem fonte usus IV 5, 19 sq. de lena, quae puellam artes amatorias docet, haec dicit:

exorabat opus, vermis ceu blandaque rura
saxosamque forat sedula gutta viam.

quae res vel maxime eo confirmatur, quod ad hanc Propertii elegiam Ovidium carmen octavum libri primi Amorum totum conformasse constat, ita ut non solum argumentum, sed etiam singulas sententias in usum suum converteret, veluti, ut unum proponam exemplum, illud de lenarum arte et moribus iudicium. quid quod in aliis etiam carminibus Ovidianis singulae sententiae ad illam Propertii elegiam referendae reperiuntur, id quod, quicumque editionem Burmannianam perlustraverit, statim intelleget.

Ab imaginibus aquam spectantibus iam progrediamur ad id genus similitudinum, quod intima cognatione cum illis coniunctum est, dico imagines a glacie sive pruina remollescente depromptas, quibuscum cohaerent similitudines a cera remollescente petitae. hoc igitur similitudinum genus iam Zingerleus II 23 tetigit, sed rem non absolvit. nam animadvertit tantummodo eam similitudinem e cera petitam, qua Lucretius explicationem suam de pluvia VI 513 sqq. illustravit:

praeterea cum rarescunt quoque nubila ventis
aut dissolvuntur, solis super icta calore,
mittunt umorem pluvium, stillantque, quasi igni
cera super calido tabescens multa liquescat,

Ovidii menti obversatam esse, cum Met. III 487 sqq. in Narcisso, qui maceratus amore sui diffluit et paulatim igne secreto absumitur, describendo eadem imagine de cera desumpta usus sit:

non tulit ulterius, sed ut intabescere flavae
igne levi cerae matutinaeque pruinae
sole tepente solent, sic attenuatus amore
liquitur et caeco paulatim carpitur igni.

sed ne quis putet alteram Ovidii imaginem ad pruinas pertinentem ex eius ipsius ingenio profectam esse, alterum quoque locum Lucretianum inspiciat velim, quem non minus Nasonem ante oculos habuisse contendam. in eodem enim Lucretii libro v. 962 sqq. haec leguntur:

principio terram sol exquoquit et facit are,
at glaciem dissolvit et altis montibus altas
extructasque nives radiis tabescere cogit:
denique cera lique fit in eius posta vapore.

quibus versibus vel obiter inspectis facile tibi persuadeas Ovidium hoc loco Lucretiano excitatum esse, ut imaginem de cera cum similitudine e pruina remollescente deprompta coniungeret. neque

certe haec coniectura infringitur eo, quod Ovidius pruinam in imaginem suam induxit, cum tamen in Lucretii descriptione de nive et glacie disputatio versetur. nam in eodem libro Lucretiano v. 529 sq. pruinae mentio fit, quem locum Ovidium alia imagine imitatum esse infra demonstrabimus, ita ut sine ulla dubitatione affirmari possit illam quoque variationem ad eundem fontem redire.[25])

Si porro reliquas recensebimus imagines Ovidianas huc pertinentes, in eis quoque non sine Lucretii quadam imitatione eum versatum esse videbimus. nam cum Ovidius Met. II 807 sq. Aglauri miseram condicionem, quae sorori suae Hersae a Mercurio amatae invidet, hac adumbravit imagine:

. . . lentaque miserrima tabe
liquitur, ut glacies incerto saucia sole,

ei sine dubio alterius Lucretii descriptionis supra propositae in mentem venit, ubi glaciei sole dissolutae mentio fit. itemque Lucretii imitatio inest Met. X 283 sqq., ubi in fabula de Pygmalionis statua eburnea, quae in virginem mutatur, hanc similitudinem usurpatam invenimus:

---

[25]) Praeivit in eisdem imaginibus adhibendis Theocritus, qui idyll. II v. 28 sq. ceram remollescentem per comparationem sic induxit:

ὡς τοῦτον τὸν κηρὸν ἐγὼ σὺν δαίμονι τάκω,
ὣς τάκοιθ' ὑπ' ἔρωτος ὁ Μύνδιος αὐτίκα Δέλφις,

et idyll. VII 76 sq. Daphnidem amore liquentem hac illustravit imagine:

εὖτε χιὼν ὥς τις κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἶμον
ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἐσχατόωντα.

quos locos num respexerit Ovidius, equidem dubito. sed constat Vergilium poetae Graeci auctoritatem secutum esse Ecl. VIII 80 sq.:

limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit
uno eodemque igni: sic nostro Daphnis amore.

in hanc autem Vergilii imitationem idem cadere videmus, quod supra de nonnullis imitationibus Ovidianis diximus, scilicet poetam in imagine conscribenda duos locos auctoris sui inter se coniunxisse ita, ut alia in imagine ad priorem, alia ad posteriorem locum referri possint. nam quod Vergilius Daphnidem amore liquentem descripsit, in eo posteriorem Theocriti locum spectavit; quod autem ceram remollescentem in imaginem induxit, in hoc prioris Theocriti loci memorem sese praestitit, ubi Delphidis amor eadem imagine illustratur. quid quod praeter Theocritum fortasse eam, quam supra commemoravimus, Lucretii disputationem atque in primis versus 965 sqq. ante oculos habuisse videtur.

temptatum mollescit ebur positoque rigore
subsidit digitis ceditque, ut Hymettia sole
cera remollescit tractataque pollice multas
flectitur in facies ipsoque fit utilis usu.

certe redolent verba 'sole cera remollescit' Lucretii descriptionem supra commemoratam, cum praesertim propter ea, quae secuntur 'tractataque pollice multas flectitur in facies ipsoque fit utilis usu', solis mentio iniecta superfluat. sed Ovidius, cum de artifice sermo esset, non dubitavit solis commemorationi ea de cera pollice tractata adiungere. atque hinc suspicari licet etiam imaginem illam, qua Met. XV 169 sqq. Pythagorae doctrina illa de metempsychosi adumbratur:

utque novis facilis signatur cera figuris,
nec manet ut fuerat, nec formas servat easdem,
sed tamen ipsa eadem est: animam sic semper eandem
esse, sed in varias doceo migrare figuras,

Ovidium de suo deprompsisse ingenio. nam hanc cerae descriptionem parum apte referri ad Lucretii locos huc spectantes luce clarius est. itaque cogitabam quondam eandem similitudinem iam pridem a philosopho quodam ac fortasse ab ipsis Pythagoreis doctrinae illius de metempsychosi illustrandae causa adhibitam esse. sed cum frustra ipsum auctorem huius similitudinis quaesiissem magis magisque animus meus inclinavit ad credendum Ovidium hoc loco tamquam suis insistentem vestigiis id, quod in superiore imagine novum excogitavit, hoc loco, ut similitudinem exornaret, repetiisse. quae sententia vel eo confirmatur, quod inter hunc et superiorem locum manifesta intercedit similitudo, ex qua cum necessitate quadam colligas Nasonem, cum Pythagorae doctrinam de animarum migratione explicaret, alterius loci memorem fuisse, quamquam facile intellegitur hanc doctrinam de metempsychosi neutiquam feliciter imagine illa illustrari.

His similitudinibus imaginem similis generis adnectere placet, in qua componenda Ovidius non minus locos quosdam Lucretianos ante oculos habuisse videtur, dico Met. IX 659 sqq., ubi Byblidis mutatio in fontem his adumbratur similitudinibus:

protinus, ut secto piceae de cortice guttae,
utve tenax gravida manat tellure bitumen,
utve sub adventu spirantis lene favoni
sole remollescit quae frigore constitit unda,

sic lacrimis consumpta suis Phoebeïa Byblis
vertitur in fontem . . .

recordatus enim est Ovidius Lucretii loci, qui legitur VI 806 sq.:

nonne vides etiam terra quoque sulpur in ipsa
gignier et taetro concrescere odore bitumen.

quae coniectura eo probabilior tibi esse videbitur, si tecum reputaveris hos versus paulo antecedere disputationi de fontibus, cuius partem quandam nunc amissam Ovidium alia similitudine expressisse supra ostendimus. quod autem Naso guttas piceas pro sulphure in imagine induxit, apud Lucretium quoque in eodem libro VI bis picis mentio fit, v. 257 et v. 1073. quibus e versibus cum priorem Ovidius alia imitatione, quam iamiam tractaturus sum, expresserit, pro certo potest affirmari poetam eam quoque variationem, ex qua pro sulphure picem restituit, Lucretio debere. de tertia denique imagine undam remollescentem spectante animadvertas velim Lucretium eandem rem descripsisse in ea ipsa parte disputationis, qua de fontibus agitur, v. 877 sq.:

. *quasi saepe gelum, quod continet in se,*
mittit (sc. ignis) *et exolvit glaciem nodosque relaxat.*

Quoniam in ea, quam modo tractavimus, descriptione Ovidiana picis mentio fit, hoc loco aliam imaginem eiusdem generis proferre libet, qua epist. XVII 7 'caelum pice nigrius' et Met. XI 549 per metaphoram 'nubes piceae' vocantur. quam similitudinem non repperi apud poetas, de quibus in hoc opusculo agitur, nisi Il. δ 277 sq. et Lucr. VI 256 sqq.

Devenimus iam ad similitudinem Ovidianam, quae continetur versibus 434 sqq. Met. libri XII, nunc communi virorum doctorum consensu ab Ovidio abiudicatis. etenim in narratione de pugna, quae, cum in nuptiis Pirithoi, Lapitharum regis, Hippodamiam Eurytus Centaurus rapturus esset, inter Lapithas et Centauros vinolentos exorta est, describitur, quem ad modum Phaocomes iacto stipite Tectaphon Oleniden a summo capite diviserit. qua in descriptione in codice Hauniensi aliisque haec leguntur:

fracta volubilitas capitis latissima, perque os
perque cavas nares oculosque auresque cerebrum
molle fluit, veluti concretum vimine querno
lac solet, utve liquor rari sub pondere cribri
manat et exprimitur per densa foramina spissus.

quam imaginem Merkelius et, qui post eum Metamorphoses ediderunt, Riesius et Kornius subditiciam esse statuerunt. sed magna inter hunc locum et Lucretii versus 391 sqq. libri alterius intercedit similitudo. quos versus hoc loco proponere non ab re alienum esse existimo:

et quamvis subito per colum vina videmus
perfluere: at contra tardum cunctatur olivom,
aut quia, ni mirum, maioribus est elementis
aut magis amatis inter se perque plicatis,
atque ideo fit uti non tam diducta repente
inter se possint primordia singula quaeque
singula per cuiusque foramina permanare.
huc accedit uti mellis lactisque liquores
iucundo sensu linguae tractentur in ore.

nam conspirant hi loci et in re ipsa et in singulis verbis, veluti illud 'tardum cunctatur' proxime accedit ad Ovidianum 'molle fluit', et 'lactis liquores' ea, quae leguntur in Ovidio, 'lac solet utve liquor', nobis in mentem revocant. adde quod, quamquam summa merito auctoritas tribuitur libro Marciano, tamen res non ita explorata est, ut omnes, qui non in Marciano leguntur, versus in aliis libris servatos, pro subditiciis habeamus. quam ob rem quamquam non affirmare audeo hos versus re vera ab Ovidio profectos esse, tamen eam rem posteriori Metamorphoseon editori, qui accuratius in singula codicum genera inquisiverit[26]), disceptandam propono. certe in his versibus nihil est, quod ab Ovidii ingenio et genere dicendi abhorreat. immo cum ille saepissime, quae in alio carmine dixerat, in alio repetere soleat, qua de re disputavit Zingerleus, ita tamen, ut, quae enotavit, ex commentariis Burmannianis facile amplificari possint, dignus mihi, qui cum Met. XII 438 'per densa foramina spissus' conferatur, videtur esse versus 89 carminis de medicamine faciei, in quo eadem fere, 'per densa foramina cerne', leguntur.

Pergentes in perlustrandis imaginibus Ovidianis, quibus Naso Lucretii spectavit auctoritatem, incurrimus in exemplum imitationis, quod id praecipue habet proprium, quod ex eo clarissime dispicitur Ovidium non solum Lucretii carmina lectitasse, verum etiam in earundem rerum, quae ab hoc poeta tractantur, contempla-

---

[26]) Cf. quae Riesius vol. II p. VIII de Metamorphoseon codicibus disputavit.

tione versatum esse ita, ut non tam de imitatione quam de studiis Lucretianis cogitari possit. in Met. enim libro IX narrat Ovidius, quem ad modum Lichas, qui Herculi fatalem illam tunicam obtulerat, ab illo in mare Euboicum proiectus mutatus sit in durum saxum. quae mutatio v. 220 sqq. hac depingitur similitudine:

utque ferunt imbres gelidis concrescere ventis,
inde nives fieri, nivibus quoque molle rotatis
adstringi et spissa glomerari grandine corpus:
sic illum validis iactum per inane lacertis
exsanguemque metu nec quicquam umoris habentem
in rigidos versum silices prior edidit aetas.

quo cum loco conferas ea, quae apud Lucretium VI 527 sqq. leguntur:

cetera quae cursu crescunt cursuque creantur,
et quae concrescunt in nubibus, omnia, prorsum
omnia, nix, venti, grando, gelidaeque pruinae,
et vis magna geli, magnum duramen aquarum,
et mora quae fluvios passim refrenat euntis,
perfacilest tamen haec reperire animoque videre
omnia quo pacto fiant qua reve creentur,
cum bene cognoris elementis reddita quae sint.

vides iam manifestam inter utrumque locum intercedere similitudinem. qua in re constituenda in primis urguendum est illud 'ferunt' ab Ovidio positum. significat enim Naso hoc verbo, si quid video, non vulgi opinionem, sed hominum doctorum sententias. quem tu autem putas magis ab Ovidio significatum esse quam eum, cui plurimum illum studium impendisse iam satis docuimus, Lucretium? certe ea, quae profert Ovidius, plane conspirant cum Lucretianis atque adeo singula verba produnt colorem, qui in huius carminibus invenitur. quam rem ut intellegas, conferas quaeso, quae in eodem Lucretii libro v. 107 et 157 sqq. leguntur.

His cum similitudinibus, quas modo tractavimus, arto cognationis vinculo coniunctae sunt eae imagines, quae ad nubium naturam pertinent. qua in re maxime studiosum ac memorem sese praestitit Ovidius descriptionis Lucretianae VI 189 sqq.:

contemplator enim, cum montibus adsimulata
nubila portabunt venti transversa per auras,
aut ubi per magnos montis cumulata videbis
insuper esse aliis alia atque urguere superne
in statione locata sepultis undique ventis;

187 *ne tibi sit frudi quod nos inferne videmus*
quam sint lata magis quam sursum extructa quid extent.
194 *tum poteris magnas moles cognoscere eorum*
speluncasque vel ut saxis pendentibu' structas
cernere, quas venti cum tempestate coorta
conplērunt, magno indignantur murmure clausi
nubibus, in caveisque ferarum more minantur,
nunc hinc nunc illinc fremitus per nubila mittunt,
quaerentesque viam circum versantur . . .

etenim ad eam duabus imaginibus sese adplicavit Naso, primum cum Met. IV 621 sqq. Persei volatum, qui ventis dissentientibus per vastum aëra trahitur, hunc in modum illustravit:

inde per immensum ventis discordibus actus
nunc huc nunc illuc exemplo nubis aquosae
fertur et ex alto seductas aethere longe
despectat terras totumque supervolat orbem,

deinde cum ex P. IV 7, 23 sq. situm ac naturam urbis Aegypsi, quae a Vestali expugnata est, hac adumbrat imagine:

nam, dubium, positu melius defensa manuve,
urbs erat in summo nubibus aequa iugo.

qua in re conferas illa 'exemplo nubis aquosae per immensum ventis discordibus actus' cum eis, quae apud Lucretium leguntur 'cum nubila portabunt venti transversa per auras', et illa 'in summo nubibus aequa iugo' cum Lucretianis 'per magnos montis cumulata nubila'. concedo equidem alteram imaginem ab Ovidio ipso proficisci potuisse, sed cum priore loco Lucretii aperte secutus sit vestigia, haud a veri specie abhorret eum altero etiam huius exemplo ad imaginem illam componendam excitatum esse.

Ovidius praeterea eiusdem libri Lucretiani alium quoque locum, qui paulo antecedit, imitatione expressit. in Met. enim l. X 731 sqq. Adonidis cruorem, qui in florem purpureum mutatur, comparat cum bulla perlucida caelo pluvio excitata:

. . . sic fata cruorem
nectare odorato spargit: qui tactus ab illo
intumuit sic ut pluvio perlucida caelo
surgere bulla solet.

quam imaginem mutuatus est Naso e v. 129 sqq. eiusdem libri Lucretiani, ubi nubis ventis scissae fragor explicatur vesicula, quae, quamvis parva sit, tamen displosa magnum emittit sonum:

tum perterricrepo sonitu dat fissa fragorem.
nec mirum, cum plena animae vensicula parva
saepe det haut parvum sonitum displosa repente.

quibus locis hoc quoque velim animadvertas Ovidii verbum 'solet' eandem habere significationem quam Lucretii adverbium 'saepe'. ceterum eadem imagine alio etiam loco usus est Naso, dico Met. XV 303 sq.:

extentam tumefecit humum, ceu spiritus oris
tendere vesicam solet . . . .

His similitudinibus aliam adiungam, quae ad flumina nebulas exhalantia pertinet. in Met. enim l. XIII 600 sqq. narratur, quem ad modum cineres Memnonis in aves conversi sint. qua occasione poeta fumum atrum, diem obscurantem, confert cum fluviis nebulas emittentibus, quae solis lumen obscurant:

. . . *cum Memnonis arduus alto*
corruit igne rogus nigrique volumina fumi
infecere diem, veluti cum flumina natas
exhalant nebulas, nec sol admittitur infra,
atra favilla volat . . . .

locus Lucretianus, ad quem Ovidius in hac imagine conscribenda sese composuit, est V 460 sqq., ubi ille mundi ortum explicaturus aetherem levem atque igniferum, qui longe lateque in omnes partes diffusus ingenti ambitu reliqua omnia amplectitur, hac illustrat descriptione:

non alia longe ratione ac saepe videntur,
aurea cum primum gemmantis rore per herbas
matutina rubent radiati lumina solis,
exalare lacus nebulam fluviique perennes,
ipsaque ut inter dum tellus fumare videtur.

nam singulos versus accurate inter se conferenti liquet Ovidii illud 'flumina natas exhalant nebulas' aperte respondere huic Lucretiano 'exhalare lacus nebulam fluviique perennes'. si porro apud philosophum 'radiati lumina solis' exhibentur, in Ovidii quoque imagine solis mentio fit, 'qui non admittitur infra'. denique neutiquam spernendum esse puto id, quod verbum 'fumandi' idem significat quam ea, quae apud Ovidium leguntur 'fumus niger' et 'atra favilla', etsi haec verba hoc loco non de ipsa imagine, sed de re, quae illustratur, usurpantur.

Priusquam autem ab hoc imaginum genere discedamus, verbo tantum commemoranda mihi erit similitudo quaedam ex venti natura petita, quam cum quadam veri similitudinis specie cum eiusdem generis Lucretii imaginibus conferri posse arbitror. etenim Am. II 9, 29 sqq. Ovidius suam amoris cupidinem his illustrat similitudinibus:

ut rapit in praeceps dominum spumantia frustra
frena retentantem durior oris equus,
ut subitus prope iam prensa tellure carinam
tangentem portus ventus in alta rapit:
sic me saepe refert incerta cupidinis aura . . .

quibus ex imaginibus alteram, quae ad ventum navem inpellentem pertinet, Ovidium ad Graecorum exempla quaedam conformasse fortasse suspiceris, quoniam Graecos e maris natura et navigatione plurima orationis lumina deprompsisse res est notissima. verum tamen apud nullum poetam similem repperi imaginem, nec apud Homerum nec apud Apollonium nec apud lyricos Graecorum nec apud tragicos poetas, nisi quod aliquatenus conferri potest Lucretii descriptio IV 892 sqq., ubi hic 'navem vento pulsam' profert, ut suam explicationem, cur corpus feratur, illustret:

praeterea tum rarescit quoque corpus, et aër,
scilicet, ut debet qui semper mobilis extat,
per patefacta venit penetratque foramind largus,
et dispargitur ad partis ita quasque minutas
corporis. hic igitur rebus fit utrimque duabus,
corporis ut navis velis ventoque feratur.

quam navis descriptionem Ovidii menti inhaesisse eo proclivius credas, quod Lucretius eam VI 1030 sqq. ibi repetiit, ubi admirandas vires magnetis explicavit:

hic, tibi quem memoro, per creba foramina ferri
parvas ad partis subtiliter insinuatus,
trudit et inpellit, quasi navem velaque ventus.

denique notatu dignum est id, quod priore loco 'foramina', posteriore 'per crebra foramina' legitur, quod vocabulum Nasonem quoque in locutione illa 'per densa foramina' adhibuisse supra vidimus.

Quod autem ad priorem Ovidii imaginem equum spectantem attinet, quamquam infitiandum non est apud Graecos in primis apud tragicos satis frequentem esse usum imaginis ex equo petitae,

tamen in omnibus locis, quos diligenter contulit Rappoldus (Die Gleichnisse bei Aeschylos, Sophocles und Euripides I—III Thl. Gym.-Progr. Klagenfurt 1876—1878) nullum invenies, qui propius ad Ovidii similitudinem accedat quam Lucretii descriptio V 1316 sq., ubi haec leguntur:

nec poterant equites fremitu perterrita equorum
pectora mulcere et frenis convertere in hostis.

certe uterque locus id habet commune, quod utrubique in una eademque re summum positum est momentum totius descriptionis, scilicet in eo, quod dominus frustra frenis equum cohercere studet. verum hoc leve est et concedo fieri potuisse, ut alius poetae vestigia sequeretur Ovidius aut suis ipsius pedibus insisteret.

Iam vero ordo disputationis nos eo ducit, ut de eis imaginibus Ovidianis disseratur, quae e caelo ac sideribus petitae sunt. qua in re initium capiamus a similitudinibus de lumine refulgente petitis, in quibus tractandis in primis cognoscitur, quanta cautione persaepe in quaestione ad imitationes pertinente opus sit, ne in errorem inducamur.

Ex Ovidii imaginibus, quae huc pertinent, altera invenitur Met. IV 347 sqq., ubi poeta ardentes oculos nymphae Salmacidis amore incalescentis hunc in modum illustrat:

. . . . *flagrant quoque lumina nymphae,*
non aliter quam cum puro nitidissimus orbe
opposita speculi referitur imagine Phoebus,

altera eiusdem generis legitur A. A. II 721 sq.:

aspicies oculos tremulo fulgore micantes,
ut sol a liquida saepe refulget aqua.

qua in re fortasse Ovidius Vergilii auctoritatem secutus est, qui Aen. VIII 22 sqq. Aeneam magno curarum aestu fluctuantem hac adumbrat similitudine:

sicut aquae tremulum labris ubi lumen aënis
sole repercusso aut radiantis imagine lunae
omnia pervolitat late loca iamque sub auras
erigitur summique ferit lacuaria tecti.

ipsius autem Vergilii imago aperte ad Apollonium redit, qui Arg. III 754 sqq. Medeae animum curis iactatum sic depinxit:

πυκνὰ δέ οἱ κραδίη στηθέων ἔντοσθεν ἔθυεν,
ἠελίου ὥς τίς τε δόμοις ἐνιπάλλεται αἴγλη
ὕδατος ἐξανιοῦσα, τὸ δὴ νέον ἠὲ λέβητι,

ἠὲ που ἐν γαυλῷ κέχυται· ἢ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα
ὠκείῃ στροφάλιγγι τινάσσεται ἀΐσσουσα.

sed imaginem illam ex Lucretio quoque haurire potuit Ovidius, apud quem IV 209 sqq., ubi de celeri imaginum traiectione disputatur, eadem luminis ab aqua refulgentis descriptio invenitur:

hoc etiam in primis specimen verum esse videtur,
quam celeri motu rerum simulacra ferantur,
quod simul ac primum sub diu splendor aquai
ponitur, extemplo caelo stellante serena
sidera respondent in aqua radiantia mundo.

idque confirmatúr quodam modo eo, quod apud Lucretium v. 269 sqq. nova disputatio, quae ad imagines a speculi superficie repulsas pertinet, sic incohatur:

nunc age, cur ultra speculum videatur imago
percipe: nam certe penitus semota videtur
illis quae reddunt speculorum ex aequore visum.

unde iam conicias Ovidium descriptione illa excitatum esse, ut in priore imagine supra proposita solis lumen non ab aqua, sed a speculi superficie repulsum induxerit. adde, quod aliae etiam imagines Ovidianae cum descriptionibus, quae se in eodem libro Lucretiano excipiunt, conspirare videntur. nam primum quidem probabile est Ovidium eam similitudinem, qua miseram suam condicionem ex P. III 4, 49 sq. Rufino sic descripsit:

utque reformidant insuetum lumina solem,
sic ad laetitiam mens mea segnis erat,

e Lucretii descriptione v. 299 sqq. deprompsisse, ubi hic eandem rem, quae imagine Ovidiana continetur, hac ratione explicavit:

splendida porro oculi fugitant vitantque tueri:
sol etiam caecat, contra si tendere pergas,
propterea quia vis magnast ipsius, et alte
aëra per purum graviter simulacra feruntur
et feriunt oculos, turbantia composituras.
praeterea splendor qui cumque est acer adurit
saepe oculos ideo quod semina possidet ignis
multa, dolorem oculis quae gignunt insinuando.

itemque imitatio Lucretiana latere videtur Trist. II 325 sq., quo loco Naso, cum Augustum hac similitudine prolata adulatus est:

utque trahunt oculos radiantia lumina solis,
traxissent animum sic tua facta meum,

sine dubio eam Lucretii descriptionem ante oculos habuit, ubi hic de eadem re v. 312 sqq. haec habet, quae disputet:

e tenebris autem quae sunt in luce tuemur
propterea quia, cum propior caliginis aër
ater init oculos prior et possedit apertos,
insequitur candens confestim lucidus aër,
qui quasi purgat eos ac nigras discutit umbras
aëris illius: nam multis partibus hic est
mobilior multisque minutior et mage pollens.
qui simul atque vias oculorum luce replevit
atque pate fecit, quas ante obsederat ater,
aëra continuo rerum simulacra secuntur,
quae sita sunt in luce, lacessuntque ut videamus.

denique Ovidio, cum Trist. I 9, 11 sqq. satis lepide parasitos qui secundis tantum rebus amico adsunt, hac notavit imagine:

utque comes radios per solis euntibus umbra est,
cum latet hic pressus nubibus, illa fugit,
mobile sic sequitur fortunae lumina vulgus:
quae simul inducta nube teguntur, abit,

eius descriptionis Lucretianae in mentem venire potuit, qua, v. 364 sqq. umbrae natura ita describitur:

umbra videtur item nobis in sole moveri
et vestigia nostra sequi gestumque imitari;
. . . .
ni mirum, quia terra locis ex ordine certis
lumine privatur solis qua cumque meantes
officimus, repletur item quod liquimus eius,
propterea fit uti videatur, quae fuit umbra
corporis, e regione eadem nos usque secuta.
semper enim nova se radiorum lumina fundunt
primaque dispereunt, quasi in ignem lana trahatur.
propterea facile et spoliatur lumine terra,
et repletur item nigrasque sibi abluit umbras.

Praeterea quaedam imitationis Lucretii vestigia deprehendere licet in ea imagine Ovidiana, quae extat Met. II 722 sq., ubi Ovidius Hersen a Mercurio cônspectam tanto pulchriorem ceteris puellis fuisse narrat:

quanto splendidior quam cetera sidera fulget
Lucifer, et quanto te, Lucifer, aurea Phoebe.

similis imago iam epist. XVII 71 sqq. legitur, quo loco poeta Leandrum Heroni haec scribentem facit:

quantum, cum fulges (sc. Luna) *radiis argentea puris,*
concedunt flammis sidera cuncta tuis,
tanto formosis formosior omnibus illa est.

cuius imaginis usum Ovidius mihi ex Lucretio repetiisse videtur, qui III 1042 sqq. hanc similitudinem in Epicuri laudem profert:

ipse Epicurus iit decurso lumine vitae,
qui genus humanum ingenio superavit et omnis
restincxit, stellas exortus ut aetherius sol.

nam nusquam apud ceteros poetas similis invenitur imago, qua luna aut sol inter stellas collucens exhibetur, nisi quod aliquatenus ea similitudo in Il. θ conferri potest, ex qua ignes ad Troiam nocte accensi stellarum praebent adspectum, quae caelo sereno circa lunam comparent, cf. v. 555 sqq.:

ὡς δ' ὅτ' ἐν οὐρανῷ ἄστρα φαεινὴν ἀμφὶ σελήνην
φαίνετ' ἀριπρεπέα, ὅτε τ' ἔπλετο νήνεμος αἰθήρ·
πάντα δέ τ' εἴδεται ἄστρα, γέγηθε δέ τε φρένα ποιμήν·

hanc vero Homeri imaginem non tam prope accedere ad eum, de quo quaerimus, Ovidii locum quam Lucretii similitudinem supra propositam certe concedas. etenim hoc est Lucretii et Ovidii proprium, quod apud utrumque poetam imago e ratione, quae inter ceteras stellas et luciferum aut lunam aut solem intercedit, petita est, id quod in Homeri similitudinem neutiquam cadit.

His similitudinibus adiunxisse iuvabit imaginem e stella cadente petitam, qua Ovidius mihi aperte locum quendam Lucretianum expressisse videtur. in Met. enim l. II Ovidius Phaëthontem, qui fulmine ictus e curru praecipitatus est atque per aëra longo limite trahitur, comparat cum stella, quae de caelo puro quamquam non delapsa est, tamen decidisse videri potest, cf. v. 319 sqq.:

at Phaëthon, rutilos flamma populante capillos,
volvitur in praeceps longoque per aëra tractu
fertur, ut interdum de caelo stella sereno
etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.

qua cum descriptione quaeso conferas ea, quae apud Lucretium II 206 sqq. leguntur:

nocturnasque faces caeli, sublime volantis,
nonne vides longos flammarum ducere tractus
in quas cumque dedit partis natura meatum?
non cadere in terram stellas et sidera cernis?

ex utriusque loci collatione adparet utrique verba 'flamma, longus, tractus, cadere' communia esse, id quod vix soli casui tribuere licet. ne qua autem cuiquam oboriatur suspicio, Ovidium magis ex aliis pendere poetis, qui eandem praebent similitudinem, breviter imagines huc spectantes perlustremus.

Ac primum quidem ea similitudine usus est Homerus Il. δ 75 sqq., ubi Pallas Minerva, quae magno impetu in terram ferebatur, hac depingitur imagine:

οἷον δ' ἀστέρα ἧκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω,
ἢ ναύτῃσι τέρας ἠὲ στρατῷ εὐρέϊ λαῶν,
λαμπρόν· τοῦ δέ τε πολλοὶ ἀπὸ σπινθῆρες ἵενται·
τῷ εἰκυῖ' ἤϊξεν ἐπὶ χθόνα Παλλὰς 'Αθήνη.

Homerum non ante oculos habuisse videtur Theocritus, cum idyll. XIII 50 Hylan, Herculis comitem, in aquam cecidisse narrat:

ὡς ὅτε πυρσὸς ἀπ' οὐρανοῦ ἤριπεν ἀστήρ.

contra accurate Homeri exemplum duabus imaginibus adumbravit Apollonius in Arg. III, quarum altera extat v. 140 sq.:

. . . ἀτάρ, εἴ μιν ἑαῖς ἐνὶ χερσὶ βάλοιο,
ἀστὴρ ὥς, φλεγέθοντα δι' ἠέρος ὁλκὸν ἵησιν,

altera autem accuratius expressa v. 1376 sqq.:

οἷος δ' οὐρανόθεν πυρόεις ἀναπάλλεται ἀστήρ,
ὁλκὸν ὑπαυγάζων, τέρας ἀνδράσιν, οἵ μιν ἴδωνται
μαρμαρυγῇ σκοτίοιο δι' ἠέρος ἀΐξαντα,
τοῖος ἄρ' Αἴσονος υἱὸς ἐπέσσυτο γηγενέεσσι.

denique manifesto Homeri et Apollonii exempla ante oculos habuisse putandus est Vergilius, qui Aen. V 527 sq. sagittam ab Aceste emissam subito exarsisse et paulo post evanuisse narrat:

. . . . *caelo ceu saepe refixa*
transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.

quos locos omnes cum Ovidii imagine conferenti patet hanc non tanta similitudine coniunctam esse cum reliquorum poetarum similitudinibus, quanta ea est, quae in Lucretii descriptione conspicitur.

Cum similitudinibus Ovidianis ex sideribus petitis cognata est ea imago, quae ad nubes radiis solis tinctas pertinet. in Met. enim l. III v. 183 sqq. Ovidius faciem Dianae, quam Actaeon nudam conspexerat, confert cum colore, qui nubibus solis radiis illustratis esse solet:

qui color infectis adversi solis ab ictu
nubibus esse solet aut purpureae aurorae,
is fuit in vultu visae sine veste Dianae.

quibus ex imaginibus prior conspirat cum Lucr. VI 204 sqq., ubi praeter alia haec quoque ad fulminis originem explicandam proferuntur:

hac etiam fit uti de causa mobilis ille
devolet in terram liquidi color aureus ignis,
semina quod nubes ipsas permulta necessust
ignis habere: etenim cum sunt umore sine ullo,
flammeus est plerumque colos et splendidus ollis:
quin etiam solis de lumine multa necessest
concipere, ut merito rubeant ignesque profundant.

quod autem ad alteram attinet imaginem Ovidianam, ea apte conferri potest cum Lucr. V 656 sq.:

tempore item certo roseam Matuta per oras
aetheris auroram differt et lumina pandit . . .

verum tamen similitudines illae neutiquam ita sunt comparatae, ut Ovidium e Lucretio pendere pro certo contendi possit. nam Graecos quoque Auroram roseam vel purpuream appellare solitos esse nemo nescit, veluti illud ῥοδοδάκτυλος de Aurora in Homeri carminibus sollemne est. atque Auroram ipsam illustrandi causa poetas adhibuisse Theocriti testatur exemplum, qui idyll. XVIII 26 sqq. Helenae pulchritudinem sic illustravit:

πότνι' ἅτ' ἀντέλλοισα καλὸν διέφανε πρόσωπον
'Αὼς ἤ ἅτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος·
ὧδε καὶ ἁ χρυσέα 'Ελένα διαφαίνετ' ἐν ἁμῖν.

prior igitur de nubibus rutilantibus imago simili ratione instituta reperitur apud Vergilium Aen. VIII 622 sq., ubi poeta loricam a Venere Aeneae datam sanguineam fuisse narrat:

. . . . . . *qualis cum caerula nubes*
solis inardescit radiis longeque refulget.

qua in re Maro Apollonium secutus est, qui Arg. IV 125 sq. vellus νεφέλῃ ἐναλίγκιον fuisse dicit:

. . . . . ἥ τ' ἀνιόντος
ἠελίου φλογερῇσιν ἐρεύθεται ἀκτίνεσσιν,

ita quidem, ut non minus probabilis esse videatur ea coniectura, qua imaginis illius Ovidianae fundum in hoc Apollonii loco inesse censeamus. sed eis, quibus usus est Ovidius, verbis 'adversi solis ab ictu', fortasse adducaris, ut Ovidium praeter Lucretii locum

supra commemoratum eam quoque descriptionem Lucretianam VI 524 sqq. spectasse suspicemur, qua ille arcus caelestis originem sic explicavit:

hic ubi sol radiis, tempestatem inter opacam,
adversa fulsit nimborum aspargine contra,
tum color in nigris existit nubibus arqui.

quem locum intuenti patet sensum totius explicationis nullum alium esse posse nisi hunc: cum sol inter opacam tempestatem adversis radiis rorantem nubem percusserit, tum in atris nubibus fit iris. unde iam conicias Ovidium hac Lucretii descriptione excitatum esse, ut in imagine sua 'adversi solis ictum' induceret eaque ratione superiorem Lucretii descriptionem cum altera coniungeret. quae coniectura magno opere eo confirmatur, quod paulo post Ovidium eandem Lucretii descriptionem de origine arcus caelestis alia imagine indidem petita expressisse videbimus.

Quod autem ad alteram Ovidii imaginem Auroram spectantem attinet, ut ea Nasonem Lucretii versus supra propositos (V 656 sq.) aliquatenus imitatum esse suspicer, vel maxime eo adducor, quod ille totam sequentem descriptionem Lucretianam alia expressit imagine, quae extat Met. VI 46 sqq. nam cum hoc loco Naso faciem Arachnae, quae subito Minervae adventu perterrita non est, hac illustret imagine:

sed tamen erubuit subitusque invita notavit
ora rubor rursusque evanuit, ut solet aër
purpureus fieri, cum primum aurora movetur,
et breve post tempus candescere solis ab ortu,

facile tibi persuadeas poetae eius descriptionis Lucretianae in mentem venisse, qua ille post versus iam supra commemoratos

tempore item certo roseam Matuta per oras
aetheris auroram differt et lumina pandit,

Aurorae naturam atque originem sic explicavit:

aut quia sol idem, sub terras ille revertens,
anticipat caelum radiis accendere temptans,
aut quia conveniunt ignes et semina multa
confluere ardoris consuerunt tempore certo,
quae faciunt solis nova semper lumina gigni.

Sed iam imaginem ex arcu caelesti petitam tractemus, qua Ovidius mihi quidem non minus Lucretii auctoritatem spectasse

videtur. in Met. enim VI 61 sqq. poeta Arachnae stamen hac illustravit similitudine:

illic et Tyrium quae purpura sensit aënum
texitur et tenues parvi discriminis umbrae,
qualis ab imbre solet percussis solibus arcus
inficere ingenti longum curvamine caelum:
in quo diversi niteant cum mille colores,
transitus ipse tamen spectantia lumina fallit.

cuius imaginis ratio Lucretii mentem adeo spirat, ut, quicumque hanc arcus caelestis descriptionem legerit, non possit, quin suspicetur Ovidium illam Lucretii descriptionem iam supra prolatam ante oculos habuisse, qua eius rei origo hac ratione explicatur:

hic ubi sol radiis, tempestatem inter opacam,
adversa fulsit nimborum aspargine contra,
tum color in nigris existit nubibus arqui.

sed etsi Ovidium in imagine sua conscribenda hunc Lucretii locum ante oculos habuisse statuimus, tamen certe nihil impedit, quominus illum eadem imagine aliquatenus expressisse censeamus Vergilii locum Aen. V 88 sq., ubi serpentis fulgor arcus caelestis descriptione depingitur:

ceu nubibus arcus
mille iacit varios adverso sole colores.

nam Ovidium in una eademque descriptione componenda e duobus simul pependisse poetis iam saepius vidimus.

Apertior autem tibi imitatio Vergiliana adparebit, si eas quoque descriptiones perlustraveris, ubi arcus caelestis non in imagine inducitur, quos locos hic afferre non ab re alienum esse puto. Vergilius enim tribus locis arcus caelestis mentionem fecit Aen. V 609 sq.:

illa, viam celerans per mille coloribus arcum,
nulli visa cito decurrit tramite virgo,

eiusdem libri v. 657 sq.:

cum dea se paribus per caelum sustulit alis
ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum,

Georg. I 451 sqq.:

. . . *nam saepe videmus*
ipsius in voltu varios errare colores:
caeruleus pluviam denuntiat, igneus euros.

apud Ovidium praeter imaginem supra tractatam etiam Met. XI 589 sqq. Iridis mentio fit, ubi haec leguntur:

. . . induitur velamina mille colorum
Iris et arcuato caelum curvamine signans
tecta petit iussi sub nube latentia regis.

quibus locis inter se collatis certe non opus est dicere Ovidium illud 'mille colores' Vergilio debere.

Vergilio adiungamus Homerum, qui eiusdem arcus imaginis duo ac praeclara praebet exempla. ex quibus prius Il. λ 27 sq. extat, ubi caerulei dracones in Agamemnonis thorace effïcti ἴρισσιν ἐοικότες dicuntur:

. . . . ἅστε Κρονίων
ἐν νέφεϊ στήριξε, τέρας μερόπων ἀνθρώπων.

quamquam haec et Vergilii similitudo nullo artiore inter se coniunctae sunt vinculo, tamen Maronem hac Homeri imagine excitatum esse credas, ut et serpentis fulgorem eadem imagine depingeret (Aen. V 88 sq.), et splendorem loricae a Venere Aeneae datae alia imagine (Aen. VIII 622 sqq.) ad Apollonii exemplum conformata illustraret, de qua iam supra disputavimus.

Altera Homeri imagine huc pertinente nubes, qua Minerva circumdata ad Graecos pervenit, sic illustratur (Il. ρ 547 sqq.):

ἠΰτε πορφυρέην ἶριν θνητοῖσι τανύσσῃ
Ζεὺς ἐξ οὐρανόθεν, τέρας ἔμμεναι ἢ πολέμοιο,
ἢ καὶ χειμῶνος δυσθαλπέος, ὅς ῥά τε ἔργων
ἀνθρώπους ἀνέπαυσεν ἐπὶ χθονί, μῆλα δὲ κήδει,
ὣς ἡ πορφυρέῃ νεφέλῃ πυκάσασα ἓ αὐτὴν . . .

quae Homeri imago apte quoque confertur cum Vergilii locis supra allatis, quibus Iris non in imagine inducitur.

Si quis autem fortasse opinatur eodem iure, quo Ovidium in sua imagine conscribenda e Lucretio et Vergilio pependisse contendimus, etiam affirmari posse, Nasonem Homeri spectasse auctoritatem, haec opinio utriusque poetae locis inter se collatis tamquam sponte concidit. nam inter Ovidii et Homeri imagines ex arcu caelesti petitas neutiquam ea intercedit ratio, ut imitationem factam esse statuere possimus.

Paene oblitus sum Ennium hoc loco commemorare, cuius de fragmento 393 V.:

arcus ubi aspicitur, mortalibus quae perhibetur

Vahlenus quaest. Enn. LXXIV se nihil certius investigasse profitetur. neque vero ego de ea re quicquam statuere ausus essem, nisi penitus mihi persuasissem Ennium hoc versu Homerum imitatum esse atque verbis extremis 'mortalibus quae perhibetur' expressisse illud Homericum τέρας μερόπων ἀνθρώπων. quae cum ita sint, suspicor pro 'ubi' scribendum esse 'uti' vel 'ut' atque Ennium Homeri exemplum secutum hac imagine ad hominem vel rem aliquam illustrandam usum esse. eis autem quae secuntur 'mortalibus quae perhibetur' non integrum continetur enuntiatum, sed in versu, qui sequebatur, 'omen esse' vel simile quid adiunctum erat, quod responderet Homerico τέρας.

Venio ad imaginem e fulmine petitam, quam, cum iam Zingerleus II 15 de ea re bene disputaverit, hic paucis absolvere licet. scite enim vir doctus observavit maxime amantes atque memores sese praestitisse poetas eius descriptionis Lucretianae, qua ille fulminis naturam II 213 sqq. sic descripsit:

transversosque volare per imbris fulmina cernis,
nunc hinc nunc illinc abrupti nubibus ignes
concursant: cadit in terras vis flammea volgo.

quo cum loco rectissime Zingerleus contulit Ovidii imaginem Met. VIII 339, ubi poeta in venationis descriptione aprum saevum, quem Diana ad agros Calydoniae devastandos miserat, in venatores confertos ruisse narrat:

. . . *ut excussis elisi nubibus ignes.*

quae imitatio certe adeo conspicua est, ut ne minima de eius fide relinquatur dubitatio.

In transcursu eos quoque locos hic adnotare mihi liceat, quibus Ovidius plus minusve eiusdem Lucretii descriptionis recordatus fulminis mentionem fecit, verum tamen non in imaginis descriptione, dico Met. VI 695 sq.; XI 435 sq. denique videsis ea quoque, quae habet Vergilius Aen. I 42; III 199; IV 209.

Similitudini ad fulmen pertinenti commode adnectitur Ovidii imago e tonitrus natura petita, in qua non minus aperta deprehenditur imitatio Lucretiana. pulcherrimo enim loco, quo Ovidius domum Famae Met. XII 43 sqq. descripsit, fremitus atque strepitus, qui ibi semper audiuntur, v. 49 sqq. a poeta elegantissime hunc in modum illustrantur:

nec tamen est clamor, sed parvae murmura vocis,
qualia de pelagi, si quis procul audiat, undis
esse solent, qualemve sonum, cum Iuppiter atras
increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.

quae imago ingeniosum prodit imitatorem Lucretii, qui VI 160 sqq. de origine et natura huius rei haec disputat:

fulgit item, nubes ignis cum semina multa
excussere suo concursu; ceu lapidem si
percutiat lapis aut ferrum: nam tum quoque lumen
exilit et claras scintillas dissipat ignis.
sed tonitrum fit uti post auribus accipiamus,
fulgere quam cernant oculi, quia semper ad auris
tardius adveniunt quam visum quae moveant res.
id licet hinc etiam cognoscere. caedere si quem
ancipiti videas ferro procul arboris auctum,
ante fit ut cernas ictum quam plaga per auris
det sonitum: sic fulgorem quoque cernimus ante
quam tonitrum accipimus, pariter qui mittitur igni
e simili causa, concursu natus eodem.

qua in re si eam quoque partem descriptionis, quae ad fulmen pertinet, hoc loco exscripsi, id non sine consilio factum est. nam si ad singula te converteris, non poterit te fugere 'excutiendi' verbum ex hac Lucretii fulminis descriptione in Ovidii similitudinem e fulmine petitam receptam esse, ita quidem, ut Nasonem praeter superiorem Lucretii descriptionem huius quoque loci aliquatenus recordatum esse colligatur.

Quod autem ad imaginem e tonitru depromptam pertinet, etsi utriusque poetae loci nullo artiore coniuncti sunt vinculo, tamen ut Ovidium Lucretium respexisse intellegas, perlustres velim ea, quae Lucretius in eodem libro paulo ante v. 96 sqq. de tonitrus natura disserit. nam cum ibi hanc tonitrus causam proferat:

principio tonitru quatiuntur caerula caeli
propterea quia concurrunt sublime volantes
aetheriae nubes contra pugnantibu' ventis.
nec fit enim sonitus caeli de parte serena,
verum ubi cumque magis denso sunt agmine nubes,
tam magis hinc magno fremitus fit murmure saepe,

quis tam caecus est, quin videat Nasonem hac Lucretii descriptione, in qua tonitruum sonitus magnum murmur atque fremitus nominatur, excitatum esse, ut murmur et fremitum in domo deae Famae extremis tonitribus conferret?

Qua in re facere non possum, quin ea tibi in mentem revocem, quae in prima dissertationis parte de imaginibus e maris natura petitis disputavimus. cum enim ibi ostenderimus priorem Ovidii imaginem de pelagi undis procul auditis non tam ad Homeri similitudines huc spectantes quam ad eam Lucretii descriptionem, quae paulo post locum supra commemoratum sequitur, pertinere (cf. v. 142 sqq.:

sunt etiam fluctus per nubila, qui quasi murmur
dant in frangendo graviter; quod item fit in altis
fluminibus magnoque mari, cum frangitur aestus),

per se patet unam imitationem altera fulciri, cum praesertim id quoque accedat, quod utraque descriptio Lucretiana in una eademque parte libri VI extat, ut iure colligas hanc illius libri partem Nasonem penitus memoria tenuisse.

Singularis imago Ovidiana petita est e terrae motu. in Met. XII 515 sq. enim Ovidius Caenei impetus, qui arbores a Lapithis in se immissas excutere temptat et incassum sese erigere studet, comparavit cum terrae motibus:

interdumque movet, veluti, quam cernimus, ecce,
ardua si terrae quatiatur motibus Ide.

ad quam imaginem componendam num Lucretii loco excitatus sit, qui VI 535 sqq. de terrae motibus disputavit, incertum est. nam quamquam verba 'terrae motibus' saepius apud Lucretium leguntur, veluti VI 535, 589, V 105, tamen ex hac re nihil de imitatione colligi potest.

Similitudines ad ignis vim atque naturam pertinentes, quas nunc quidem tractaturus sum, Ovidius plurimas adhibuit easque tanta varietate atque ubertate, quantam vix in aliis poetis reperies. certe 'lusori amorum' in carminibus sat multae sese obtulerant occasiones vim et vehementiam amoris variis imaginibus ab igne flammisque ductis illustrandi. quarum imaginum usum quamquam non a Lucretio didicit (nam iam a Graecorum poetis saepissime amoris vis cum igne vel flamma comparatur), tamen in quibusdam ornatum et colorem ex hoc depromere non dubitavit.

Ac primo loco eas recensere lubet imagines, quae ad taedarum ignes pertinent. qua in re memorem sese praestitit Ovidius duarum Lucretii descriptionum in libro VI sese excipientium, quae in ea quidem parte huius libri extant, qua variae res ad fontes

spectantes naturali ratione explicantur. postquam enim Lucretius ostendit in Iovis Ammonis fonte nihil admirabile esse aut divinum, iam v. 879 sqq. alio de fonte, qui erat Dodonae, haec disputat:

frigidus est etiam fons, supra quem sita saepe
stuppa iacit flammam concepto protinus igni,
taedaque consimili ratione accensa per undas
conlucet, quo cumque natans impellitur auris.
ni mirum, quia sunt in aqua permulta vaporis
semina, de terraque necessest funditus ipsa
ignis corpora per totum consurgere fontem . . .

ac porro v. 895 sqq. eadem de re pergit hunc in modum disputare:

sic igitur per eum possunt erumpere fontem
et scatere illa foras in stuppam semina; quo cum
conveniunt aut in taedai corpore adhaerent,
ardescunt facile extemplo, quia multa quoque in se
semina habent ignis stuppae taedaeque tepentis.
nonne vides etiam, nocturna ad lumina linum
nuper ubi extinctum admoveas, accendier ante
quam tetigit flammam, taedamque pari ratione?
multaque praeterea prius ipso tacta vapore
eminus ardescunt quam comminus imbuat ignis.

ad has Lucretii descriptiones sese composuit Ovidius, cum Met. III 373 sq., qua ratione nympha Echo amore inflammata esset, describeret. ea enim, cum Narcissum amet, huius vestigia premit et, quo magis sequitur, eo ardentiore igne uritur:

non aliter, quam cum summis circumlita taedis
admotas rapiunt vivacia sulphura flammas.

quam imaginem quin Ovidius ad Lucretii descriptiones supra propositas conformaverit, equidem nullus dubito. sane quod ad voces utrique communes 'flamma' et 'taeda' attinet, eas ad imitationem comprobandam non adhibeam, quoniam, quantillum sit tale argumentum, haud ignoro. si vero utrubique 'admovendi' verbum de taeda adhibitum videmus et illud Ovidianum 'rapiunt flammas' aperte congruit cum Lucretii verbis 'concepto protinus igni' et quod infra legitur 'ardescunt facile extemplo', iam imitatio certa esse videtur. cum porro apud omnes reliquos poetas, quorum in hac dissertatione mentio fit, frustra simile quaeras exemplum imaginis a taedis petitae, mecum puto facies, si eam quoque similitudinem, qua Ovidius Epist. VII v. 23 Didonem utentem facit:

uror, ut inducto ceratae sulphure taedae,

et eam imaginem, qua Medea Iasoni amorem suum Epist. XII 33 sq. describit:

et vidi et perii. nec notis ignibus arsi,
ardet ut ad magnos pinea taeda deos,

ad Lucretii locos redire contenderim.

Ut autem haec disputatio etiam arti criticae succurrat, verum vidisse puto eos editores, qui alteram similitudinem, quae priorem illam excipit:

ut pia fumosis addita tura rogis,

spuriam esse statuerunt. nam primum quidem hac dissertationis parte absoluta adparebit, unamquamque ignis imaginem certa quadam ratione institutam in Ovidii carminibus ter vel quater vel etiam saepius inveniri, ita ut haec, de qua quaerimus, imago ad tura pertinens mirum in modum unica sit et singularis in suo genere. qua re ea iam sat superque in dubitationem vocatur. accedit, quod hae ambae imagines sese excipientes:

uror, ut inducto ceratae sulphure taedae,
ut pia fumosis addita tura focis

nequaquam bene inter se coniunguntur, cum prior imago ex taeda petita ignem rapidum et vehementem spectet, in posteriore autem similitudine de igni fumoso cogitari debeat, quocum lentus tantummodo amor apte comparari potest. unde intellegi licet, quam male interpolatori res cesserit.[27])

Suspiceris fortasse eam imaginem, qua Ovidius Apollinis amorem Daphnidis pulchritudine capti illustravit, Met. I 492 sqq.:

utque leves stipulae demptis adolentur aristis,
ut facibus saepes ardent, quas forte viator
vel nimis admovit vel iam sub luce reliquit,
sic deus in flammas abiit, sic pectore toto
uritur . . . .

---

[27]) Ceterum hic, de quo egimus, versus, et qui statim sequitur, nihil fere continet, quod non dictum sit in versu antecedenti et proxime sequenti. idcirco optimo iure versus:

ut pia fumosis addita tura focis,
Aeneas oculis semper vigilantis inhaeret,

qui in paucis tantum libris leguntur, iam dudum in interpolationis suspicionem vocati sunt.

poetam e Theocrito sumpsisse, qui idyll. II 23 sqq. haec protulit:

ἐγὼ δ' ἐπὶ Δέλφιδι δάφναν
αἴθω· χὡς αὕτα λακεῖ μέγα καππυρίσασα,
κἠξαπίνας ἅφθη, κοὐδὲ σποδὸν εἴδομες αὐτᾶς,
οὕτω τοι καὶ Δέλφις ἐνὶ φλογὶ σάρκ' ἀμαθύνοι,

vel ex Apollonio, apud quem Arg. I 1026 sqq. haec legitur similitudo:

σὺν δ' ἔλασαν μελίας τε καὶ ἀσπίδας ἀλλήλοισιν
ὀξείῃ ἴκελοι ῥιπῇ πυρός, ἥ τ' ἐνὶ θάμνοις
αὐαλέουσι πεσοῦσα κορύσσεται,

vel denique ex Homeri imagine, qua Troianorum et Achivorum horrende clamantium sonitus et clamor Il. Ξ 396 sq. sic illustratur:

οὔτε πυρὸς τόσσος γε πέλει βρόμος αἰθομένοιο
οὔρεος ἐν βήσσῃς, ὅτε τ' ὄρετο καιέμεν ὕλην.

sed meliora te docebit locus quidam Lucretii V 608 sq., ubi is explicaturus, quo modo tantus calor tantumve lumen unius solis tam late profundatur, ignem segetibus et stipulis immissum adhibet:

quod genus inter dum segetes stipulamque videmus
accidere ex una scintilla incendia passim.

nam hanc Lucretii imaginem multo propius ad Ovidii similitudines supra propositas accedere quam eas, quibus ceteri poetae usi sunt, unusquisque intellegit. praeterea commemorandum est Ovidium in altera imagine verbum 'admovendi' adhibuisse, quod verbum poetam ex Lucretio recepisse supra vidimus, ubi de imaginibus e taedis petitis disseruimus.

Non minus aperte agnoscitur imitatio Lucretiana Met. VI 455 sqq., quo loco Terei amor incestus hunc in modum illustratur:

non secus exarsit conspecta virgine Tereus,
quam siquis canis ignem supponat aristis,
aut frondem positasque cremet faenilibus herbas,

et in ea imagine, quae extat in descriptione illa pugnae (Met. XII 273 sqq.), in qua Rhoetus torre flagrante Charaxi

tempora perfringit fulvo protecta capillo.
conrepti rapida, veluti seges arida, flamma
arserunt crines . . . . . .

Recensitis imaginibus ad taedarum et segetum vel aristarum ignes pertinentibus iam examinemus similitudines, quae ignem paene extinctum novis viribus adsumptis reviviscentem spectant.

quas imagines non minus aperte conformavit Ovidius ad Lucretii exemplum, qui IV 925 sqq. sagacissime explicationem suam, qua animam in somno perturbatam et aliquantum sed non totam eiectam esse putat, ignis exemplo illustravit etsi cineri plurimae suppositi tamen iterum reviviscentis:

quippe, ubi nulla latens animai pars remaneret
in membris, cinere ut multa latet obrutus ignis,
unde reconflari sensus per membra repente
posset, ut ex igni caeco consurgere flamma?

hanc igitur imaginem Ovidius perbene in usum suum arcessivit, cum A. A. II 439 sqq. tironi in amore, qui puellam sibi devincire volt, hoc dat consilium:

ut levis absumptis paulatim viribus ignis
ipse latet, summo canet in igne cinis,
sed tamen extinctas admoto sulphure flammas
invenit, et lumen quod fuit ante redit:
sic, ubi pigra situ securaque pectora torpent,
acribus est stimulis eliciendus amor,

et Rem. v. 731 sqq. infeliciter amanti suadet, ut causam amoris sui vitet; nam:

ut paene extinctum cinerem si sulphure tangas,
vivet et e minimo maximus ignis erit,
sic, nisi vitaris quidquid renovabit amorem,
flamma redardescet, quae modo nulla fuit.

has quoque imagines Ovidianas si comparaveris cum Lucretii similitudine supra proposita, unde illae petitae sint, sponte adparebit. nam etiamsi vocabula, quae his locis communia sunt, tritissima atque usitatissima esse patet, tamen vix casu quodam factum esse videtur, ut easdem voces uterque poeta in una eademque descriptione adhibuerit. praeterea memoratu dignum est etiam id, quod in priore imagine tamquam residuum habes eius imitationis, quam supra statuimus, dico 'admovendi' verbum ex Lucretii descriptione, quae ad taedarum ignem pertinet, depromptum.

Ceterum Ovidius, ut solet, imaginem illam duplici ratione variavit Trist. IV 5, 4., quo loco poeta exul fatetur se alloquiis amici sui revixisse:

ut vigil infusa pallade flamma solet,

et Met. VII 79 sqq., ubi Medeae amor hunc in modum describitur:

utque solet ventis alimenta adsumere quaeque
parva sub inducta latuit scintilla favilla
crescere et in veteres agitata resurgere vires,
sic iam lentus amor, iam quem languere putares,
ut vidit iuvenem, specie praesentis inarsit.

quarum imaginum in altera sine dubio Apollonii pressit vestigia, qui Arg. III 291 sqq. simili ratione Medeae amorem illustravit:

ὡς δὲ γυνὴ μαλερῷ περὶ κάρφεα χεύατο δαλῷ
χερνῆτις, τῇπερ ταλασήϊα ἔργα μέμηλεν,
ὥς κεν ὑπωρόφιον νύκτωρ σέλας ἐντύναιτο,
ἄγχι μάλ' ἐγρομένη· τὸ δ' ἀθέσφατον ἐξ ὀλίγοιο
δαλοῦ ἀνερχόμενον σὺν κάρφεα πάντ' ἀμαθύνει·
τοῖος ὑπὸ κραδίῃ εἰλυμένος αἴθετο λάθρῃ
οὖλος ἔρως·

ipse autem Apollonius mihi pendere videtur ex Homero, qui Od. ε 488 sqq. Ulixem ita se foliis contexisse dicit:

ὡς δ' ὅτε τις δαλὸν σποδιῇ ἐνέκρυψε μελαίνῃ
ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιῆς, ᾧ μὴ πάρα γείτονες ἄλλοι,
σπέρμα πυρὸς σῴζων, ἵνα μή ποθεν ἄλλοθεν αὔῃ.

nam quantumvis Apollonii imago ab Homeri similitudine distet, tamen, quicumque rationes poetae Alexandrini perspectas cognitasque habuerit, facile sibi persuadebit hunc imaginem suam ad Homeri exemplum conformasse.

Ultimo loco de eis agamus similitudinibus, quae ex igni vorace vel e fornacibus erumpente petitae sunt. qua in re iam vidimus Ovidium ea Lucretii disputatione de Aetnae ignibus, quae VI 639 sqq. sic incohatur:

nunc ratio quae sit, per fauces montis ut Aetnae
expirent ignes inter dum turbine tanto,
expediam,

excitatum esse, ut Erysichthonis famem insatiabilem hunc in modum exornaret:

utque rapax ignis non umquam alimenta recusat
innumerasque trabes cremat et, quo copia maior
est data, plura petit turbaque voracior ipsa est;

cf. Met. VIII 837 sqq. cuius imitationis certissimum atque manifestissimum argumentum in eo positum est, quod altera imago Ovidiana e mari petita, quae ante hanc similitudinem collocata est atque eidem rei illustrandae inservit, ex ea quidem maris

descriptione Lucretiana manavit, quae disputatione illa de Aetnae ignibus supra commemorata excipitur.

Ovidius autem eo facilius in hanc, de qua est sermo, similitudinem incidere potuit, quod Lucretius in eodem libro v. 1168 sqq. pestilentiam, qua tempore belli Peloponnesiaci Athenae devastatae sunt, ad Thucydidis exemplum descripsit. qua in disputatione cum morbus ipse hac ratione depingatur:

intima pars hominum vero flagrabat ad ossa,
flagrabat stomacho flamma ut fornacibus intus,

non ab vero abhorret Nasonem inde similitudinem, qua Erysichthonis fames insatiabilis cum igni confertur, sumpsisse. nam Ovidium hanc totam pestilentiae descriptionem Lucretianam penitus memoria sua tenuisse nemo infitiabitur, quandoquidem illum etiam descriptionem eius pestilentiae, quae insulam Aeginam vastavit, (Met. VII 528 sqq.) ad eandem Lucretii descriptionem conformasse res est notissima.

Quod si Ovidius de innumeris trabibus locutus est atque ita silvae incendium significavit, eam rem aut Lucretio debet, qui I 897 sqq. originem incendii silvarum fusius explicavit, quam disputationis partem Nasonis menti eo facilius inhaesisse credas, quod eximia quadam pulchritudine orationis inter ceteras excellit eoque magis legentium animos tenet, aut hac in re Graecorum exempla secutus est. etenim apud Homerum duo exempla imaginis ex silvae incendio petitae reperiuntur, Il. λ 155 sqq. et υ 490 sqq., quae Apollonius Arg. IV 139 sqq. simili imagine aliquantum variata expressit. sed sive hanc sive illam amplecteris coniecturam, ut hac de re nihil pro certo statuere malim, ita haud dubitanter negem Nasonem in illa ignis descriptione suis insistere pedibus.

Leviora imitationis vestigia deprehenduntur in ea imagine, quae extat Met. II 228 sqq. Phaëthon enim, dum solis curru vehitur, cunctis e partibus orbem:

adspicit accensum nec tantos sustinet aestus,
ferventesque auras velut e fornace profunda
ora trahit currusque suos candescere sentit.

qua cum imagine praeter Lucretii descriptiones iam supra commemoratas apte quoque comparabitur VI 680 sqq., ubi is novam disputationem de Aetna flammas evomente sic incohavit:

nunc tamen illa modis quibus inritata repente
flamma foras vastis Aetnae fornacibus efflet,
expediam,

et alter locus II 592 sq., qui sic se habet:

nam multis succensa locis ardent sola terrae,
eximiis vero furit ignibus impetus Aetnae.

haec quoque imitatio munimentum quoddam ac praesidium habet inde, quod etiam Lucretius V 397 sqq. fabulam illam de Phaëthonte tractavit. quocirca facile suspiceris Ovidium eandem fabulam tractaturum descriptionis illius recordatum esse.

Hactenus igitur Ovidius in imaginibus suis ex igni petitis Lucretii descriptiones quasdam eiusdem generis expressit. nam imaginem Met. VII 104 sqq., qua tauri aenipedes ignem exspirantes sic illustrantur:

ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant
aeripedes tauri, tactaeque vaporibus herbae
ardent. utque solent pleni resonare camini,
aut ubi terrena silices fornace soluti
concipiunt ignem liquidarum adspergine aquarum,
pectora sic intus clausas volventia flammas
gutturaque usta sonant,

poeta tam manifesto conformavit ad Apollonii Arg. III 1298 sqq.:

ὡς δ' ὅτ' ἐνὶ τρητοῖσιν ἐΰρινοι χοάνοισι
φῦσαι χαλκήων ὁτὲ μέν τ' ἀναμορμύρουσι,
πῦρ ὀλοὸν πιμπρᾶσαι, ὅτ' αὖ λήγουσιν ἀϋτμῆς,
δεινὸς δ' ἐξ αὐτῶν πέλεται βρόμος, ὁππότ' ἀΐξῃ
νειόθεν· ὣς ἄρα τώγε θοὴν φλόγα φυσιόωντες
ἐκ στομάτων ὁμάδουν . . . .,

ut de origine imaginis illius ne minima quidem relinquatur dubitatio.

Si vero in his imitationibus Lucretianis statuendis audacior quibusdam videar, ii quaeso reliquorum poetarum eiusdem generis imagines perlustrent atque inquirant, num apud alium quendam poetam varii affectus amoris talibus ignis descriptionibus adumbrentur, quales in Ovidii carminibus sese offerunt. nam quamquam, ut id quoque examinemus, eiusdem generis translationes apud Vergilium reperiantur, veluti Ecl. II 1, VIII 81; Georg. III 215; Aen. IV 68, 101, tamen hi loci omnes ita sunt comparati, ut ipsae ignis descriptiones ab eis, quibus Ovidius usus est, toto caelo discrepent, nisi quod id unum cum his commune habent,

quod uni eidemque rei illustrandae inserviunt, scilicet amoris vehementiae indicandae. sed hoc certe leve est, quia, id quod iam supra dixi, idem loquendi genus in omnibus poetis et Graecis et Latinis invenitur ita, ut Ovidium in eiusdem translationis usu recipiendo aliquem auctorem ante oculos habuisse nullo pacto affirmari possit. si igitur contendo in his imaginibus ab igni petitis, quibus vis et vehementia amoris varie describitur, Ovidium Lucretii spectasse auctoritatem eique vel maxime indulsisse, id nimirum non ita intellegas, ac si poetam huius translationis usum e Lucretio sumpsisse existimem. immo illud tantum in hac disputationis parte evicisse mihi videor Nasonem, cum sicut reliqui poetae amorem imagine ex igni petita illustraturus esset, has ipsas ignis descriptiones ad varios Lucretii locos huc spectantes conformasse. qua cum re optime convenit, quod Ovidius Trist. II 425 Lucretii carminum mentionem facturus haec dicit:

explicat ut causas rapidi Lucretius ignis.

quem versum varie interpretati sunt viri docti, cum alii verbis 'rapidi ignis' fulmen, alii ignem tamquam elementum significari contenderent. verum haec controversia certe supervacanea est. nam utrum de elementari igni an de fulmine cogites, nihil omnino refert, quandoquidem utriusque ignis causae a Lucretio explicantur, scilicet fulminis causae VI 160 sqq. et ignis elementaris causae V 1091 sqq. Ovidium autem utramque disputationem penitus memoria sua tenuisse quis est, qui infitietur? itaque aptum et facillimum habet explicatum, quod Naso Lucretii disputationes de igni hoc versu commemoravit.

Restat ut duo tantummodo genera imaginum Ovidianarum hac in dissertationis parte commemoremus, quorum de priore cum iam Zingerle II 23 sq. accuratius disputaverit, mihi id unum relinquitur, ut locos ipsos afferam atque ostendam, qua occasione Ovidius descriptiones quasdam Lucretianas in usum suum converterit. ex eo enim, quod glans plumbea in aëra emissa rapido volatu incalescit ignemque concipit, duae prodierunt imagines Ovidianae, quarum una Met. II 727 sqq. legitur, ubi Mercurius in aëre pendens Hersae pulchritudine captus:

non secus exarsit, quam cum Balearica plumbum
funda iacit: volat illud et incandescit eundo,
et quos non habuit, sub nubibus invenit ignes,

altera Met. XIV 824 sqq., quo loco Ovidius Romulum in Quirinum commutatum hunc in modum descripsit:

corpus mortale per auras
dilapsum tenues; sic lata plumbea funda
missa solet medio glans intabescere caelo.

quibus in imaginibus conscribendis manifesto spectavit Ovidius Lucretii auctoritatem, qui VI 176 sqq. hoc glandis exemplo usus est, ut suam comprobaret sententiam, ex qua omnia motu ardescere statuit:

. . . . . . *ut omnia motu*
percalefacta vides ardescere, plumbea vero
glans etiam longo cursu volvenda calescit.

haec igitur glandis volantis commemoratio in Ovidii mente eo facilius inhaerescere potuit, quod ea in eodem libro Lucretiano v. 306 sqq. imaginis munere fungitur, qua ventus e nubibus erumpens et cursu atque pernici motu incalescens sic illustratur:

non alia longe ratione ac plumbea saepe
fervida fit glans in cursu, cum multa rigoris
corpora dimittens ignem concepit in auris.

atque hae, quas iam Zingerle significavit, imitationes adeo certae atque manifestae sunt, ut alia argumenta et intrinsecus et extrinsecus petita, quae rem accuratius tractanti sponte sese offerunt, ut supervacanea et otiosa iure omittere possim.

Itaque iam ad extremam festinemus imaginem, qua haec tota disputatio, quatenus Ovidius in similitudinibus conscribendis Lucretii vestigia presserit, absolvitur. in epistulis ex Ponto enim I 3, 10 poeta exul Rufino scribit se ad huius voces atque adhortationes revixisse:

ut solet infuso vena redire mero.

quae imago aperte redit ad Lucretii locum III 476 sqq.:

denique cor, hominem cum vini vis penetravit
acris et in venas discessit diditus ardor,
consequitur gravitas membrorum . . .

haec quoque Nasonem imagine illa imitando expressisse certe non multis opus est demonstrare, cum res ipsa imitationem arguat. verum tamen si qui sint, quibus hanc coniecturam temere fecisse videar, eis ipso totius loci Lucretiani argumento perlustrato omnis evanescet dubitatio. nam cum hic paulo post locum allatum sic pergat:

cur ea sunt, nisi quod vemens violentia vini
conturbare animam consuevit corpore in ipso?

et v. 502 sqq. haec praebeat:

inde ubi iam morbi reflexit causa, reditque
in latebras acer corrupti corporis umor,
tum quasi vaccillans primum consurgit et omnis
paulatim redit in sensus animamque receptat,

iam contendi potest Ovidium etiam in singulis Lucretii spectasse auctoritatem. praeter omnia autem vel maxime tenendum est id, quod Lucretius sua descriptione ad vim vini pertinente pro argumento usus est, quo animas simul cum corporibus nasci et interire comprobaret, qua disputatione Nasonem vel maxime delectatum esse ibi vidimus, ubi de alio argumento eidem sententiae comprobandae inserviente, quod ex gaudio et lamentatione animi morientis petitum est, disseruimus.

Quaestione de altero Ovidii similitudinum fonte ad finem perducta iam ad id, quod tertio loco posuimus, progrediamur ac quaeramus, quatenus Naso, quem in his imaginibus conscribendis tam studiose Homeri et Lucretii vestigia secutum esse vidimus, in eodem ornamento adhibendo e poetis suae aetatis pendeat. qua in re eum sequemur disputationis ordinem, ut observata, quantum fieri potest, temporum ratione disputandi initium a Catullo capiamus et deinceps, quatenus Ovidius in imaginibus suis Vergilium, Horatium, Tibullum, Propertium imitatus sit, ostendamus. appendicis denique loco quid de reliquis similitudinibus Ovidianis nobis iudicandum sit, breviter explicare conabimur. verum tamen vix quisquam a nobis postulabit, ut hunc ordinem modo indicatum omni ex parte sequamur, immo hic illic, prout res feret, eum relinquemus et interdum poetarum Graecorum, in primis Theocriti imagines in quaestionem disceptationemque vocabimus. nam praeterquam quod Ovidius haud raro Siculi poetae spectavit auctoritatem, vel maxime in hoc imitationum genere id semper cavendum erat, quod, nisi religiosissime vitavissemus, haec tota dissertationis pars vana et futilis esset, ne videlicet talia Ovidium a poetis suae aetatis accepisse

statueremus, quae e Graeco fonte communi in omnium sive certe complurium aetatis Augusteae poetarum sermonem manaverunt. qua re interdum aliquanto longius in disputando evagari necesse erit.

Si autem videbimus Ovidium paucissimas tantummodo imagines poetis quibusdam debere, inde neutiquam sequitur, illum horum poetarum carmina minus lectitasse eaque non tam penitus memoria sua tenuisse. immo eosdem poetas Naso aliis in rebus frequentissime imitatus est. quam ob rem etiamsi perpaucas tantum investigemus imagines Ovidianas ad certum quendam poetam redeuntes, tamen imitationibus illis ob paucitatem minorem fidem tribuendam esse negamus. ceterum Ovidium aetatis suae poetarum carmina penitus memoria tenuisse notior est res, quam ut pluribus verbis explicanda esse videatur. itaque nolo ea repetere, quae cum alii laudabili cum diligentia, tum in primis Zingerle I 7 sqq. de hac re disputaverunt. cuius disputatio cum accuratissima sit, id unum mihi restat, ut eos locos Ovidianos enotem, quibus eorum, quos Naso in imaginibus suis conscribendis imitatus est, poetarum aetatis suae mentio fit. sunt autem loci hi: Am. I 15, 27 sqq.; III 9, 61 sqq.; 15, 7 sqq.; A. A. III 333 sqq.; 536 sqq.; Rem. 395 sqq.; 763 sqq.; Trist. II 447 sqq.; 533 sq.; IV 10, 45 sq.; 51 sqq. his igitur e locis perlustratis disces, quanto cum studio Ovidius eorum, de quibus quaerimus, poetarum carmina amplexus sit. qua re fieri non potuit, quin ex eisdem poetis similitudines quasdam sive reciperet sive certe imitando spectaret. ex quibus quae unicuique poetae tribuendae sint, iam videamus.

Agmen igitur ducat Catullus, cuius ex carminibus perpaucas quidem imagines, sed sat manifesto similitudines quasdam e variis plantis petitas Ovidius in usum suum arcessivit. ac primum quidem habes epist. V 47 sq. similitudinem ad vitis naturam pertinentem:

non sic adpositis vincitur vitibus ulmus,
ut tua sunt collo bracchia nexa meo.

eadem descriptio e vite petita per dissimilitudinem legitur Am. II 16, 41 sq.:

ulmus amat vitem, vitis non deserit ulmum:
separor a domina cur ego saepe mea?

quam imaginem cum usitatiorem et tritiorem esse quondam cogitarem, apud alios et Graecos et Latinos poetas similia quaesivi exempla. at spem laboremque successus destituit. nam apud neminem eandem usurpatam inveni imaginem nisi apud Catullum, qui c. LXI 102 sqq. eandem similitudinem prorsus eadem ratione institutam praebet:

lenta quin velut adsitas
vitis inplicat arbores,
inplicabitur in tuum
complexum.

quae imago non potuit non in Ovidii memoria inhaerescere, quoniam ea ex Sapphus carmine, ut videtur, profecta LXII 49 sqq. sic repetitur:

ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo
numquam se extollit, numquam mitem educat uvam,
sed tenerum prono deflectens pondere corpus
iam iam contingit summum radice flagellum;
hanc nulli agricoiae, nulli coluere bubulci:
at si forte eademst ulmo coniuncta marito,
multi illam agricolae, multi coluere bubulci:
sic virgo dum intacta manet, dum inculta senescit.

imitatio certe manifestissima atque certissima est, utpote cum non solum una eademque descriptio in similitudine inducatur, sed etiam in priore Catulli loco imago eidem rei illustrandae inserviat, cui Ovidii similitudines supra propositae. quocirca etiamsi fortasse ex alio poeta similes descriptiones proferre possis, veluti ex Horatio c. II 15, 4 sq.:

. . *platanusque caelebs*
evincet ulmos, . .

et Epist. I 16, 3:

. . . *an amicta vitibus ulmo,*

persto tamen Ovidium eadem in imagine adhibenda Catulli exemplo ductum esse.

Iam deinceps alteram videamus imaginem, quae mihi quidem non minus manifesto originem suam a Catullo ducere videtur. Met. IV 361 sqq. enim Salmacis, quae Hermaphroditum reluctantem amplectitur, praeter alias imagines hac quoque depingitur similitudine:

denique nitentem contra elabique volentem
inplicat . . . .
utve solent hederae longos intexere truncos.

quae imago aperte redit ad Catulli c. LXI 31 sqq.:

ac domum dominam voca
coniugis cupidam novi,
mentem amore revinciens,
ut tenax hedera huc et huc
arborem inplicat errans.

cui imitationi eo maior tribuenda erit veritatis species, quod haec Catulli imago in eodem carmine extat, cuius v. 102 sqq. Ovidium similitudine e vite petita expressisse modo vidimus.

Habet autem Naso comitem huius imitationis Horatium, qui c. I 36, 21 Damalim 'lascivis hederis ambitiosiorem' nominat. attamen ne nimis certo utrumque poetam e Catullo pendere statuamus, prohibere videntur Graecorum exempla a Rappoldo congesta, quae perquam simili ratione instituta sunt. in Sophoclis enim Ant. v. 826 sq. de Niobe hanc usurpatam legimus similitudinem: τὰν κισσὸς ὡς ἀτενὴς πετραία βλάστα δάμασεν. praeterea conferatis: Eurip. Hec. v. 398: ὁποῖα κισσὸς δρυός; Med. v. 1213: ὥστε κισσὸς ἔρνεσιν δάφνης; Soph. frg. 783: γραίης ἀκάνθης πάππος ὡς φυσώμενος.[28]) quae exempla ostendunt quidem huius imaginis usum apud poetas Latinos e Graecorum poesi repetendum esse. sed cave credas Ovidium in imagine sua conscribenda potius Graecorum exempla spectasse. nam Catulli locum supra propositum ei ante oculos obversatum esse testantur et externa similitudo, quae inter utriusque poetae imagines intercedit, et potissimum id, quod locus ille Catullianus in eo carmine extat, quod Ovidium studiose lectitavisse iam supra docuimus. denique nemo non videt poetas Latinos hanc imaginem de amantibus usurpasse, id quod in Graecorum exempla neutiquam cadit.

Sequitur, ut alius imaginis originem hoc loco explicemus, quae deducta est ex eo, quod interest inter rosas et lilia, quorum alterae altera venustate superant ab eisque circumdantur. in Am. enim II 5, 35 sqq. Ovidius colorem puellae erubescentis his illustravit similitudinibus:

---

[28]) Conferas ea quoque quae in pulcherrimi Decimi Laberii prologi v. 25 leguntur 'ut hedera serpens vires arboreas necat' (v. 122 R.).

quale coloratum Tithoni coniuge caelum
subrubet, aut sponso visa puella novo:
quale rosae fulgent inter sua lilia mixtae,
aut ubi cantatis Luna laborat equis,
aut quod, ne longis flavescere possit ab annis,
Maeonis Assyrium femina tinxit ebur.

hanc descriptionem totam conflavit Ovidius e variorum poetarum imitatione. atque in imagine, quae in versu tertio legitur, praeivit Propertius, apud quem II 3, 9 sqq. B. haec, certe simillima, leguntur:

nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit
(lilia non domina sunt magis alba mea
et Maeotica nix, minio si certat Hibero,
utque rosae puro lacte natant folia),
nec de more comae per levia colla fluentes,
non oculi, geminae, sidera nostra, faces.

quem locum Ovidium memoria sua tenuisse et per se credibile est et inde arguitur, quod extremum versum Am. II 16, 44 sic imitatus est:

per me perque oculos, sidera nostra, tuos.

qua imitatione quid ecficiatur, postea uberius exponam, cum ipsa disputatio ad Propertium devenerit. verum tamen Ovidium eam, de qua quaerimus, imaginem neutiquam ex hoc Propertii loco deprompsisse mox adparebit reliquorum poetarum imaginibus eiusdem generis recensitis.

Reperitur enim persimilis imago in Lygdami elegia IV v. 29 sqq.:

candor erat, qualem praefert Latonia Luna,
et color in niveo corpore purpureus,
et iuveni primum virgo deducta marito
inficitur teneras ore nitente genas,
aut cum contexunt amarantis alba puellae
lilia et autumno candida mala rubent.

hunc quoque locum magnam vim in Ovidii mentem exercuisse tum demonstrabimus, cum de imitationibus ad Tibulli carmina redeuntibus disputaturi sumus. hic satis esto hoc unum monuisse, Nasonem neque ad hanc similitudinem imaginem suam conformasse. nam perlustrato loco Vergiliano Aen. XII 67 sqq., ubi Maro Laviniae erubescentis colorem, qui virginis ori nuptiarum mentione facta suffunditur, hunc in modum depinxit:

Indum sanguineo veluti violaverit ostro
si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
alba rosa: talis virgo dabat ore colores,

nullo pacto ambigi potest, unde Ovidius imaginem suam ad rosas inter lilia mixtas pertinentem deprompserit, quoniam haec quidem descriptio Vergiliana adeo conspirat cum imagine illa, ut vix quemquam hunc Vergilii locum melius imitari potuisse contendas. adde quod utrubique etiam ea imago, quae ebur ostro tinctum spectat, offertur.

Ipse autem Vergilius hanc plantae imaginem neutiquam de suo deprompsit ingenio, immo aperte sese composuit ad Catullum, qui in eodem carmine, quod supra commemoravimus, LXI vv. 87 sqq. virginem sponsam sic elegantissime illustravit:

talis in vario solet
divitis domini hortulo
stare flos hyacinthinus.

habet quidem Vergilii imago cum Catulli similitudine hoc commune, quod utrubique e ratione, quae intercedit inter florem singularem et reliquas plantas ab illo venustate superatas imago petita est. nam hoc Catullianum 'varius hortulus' sine dubio eum in sensum accipiendum est, quasi poeta dixisset 'hortulus variis floribus ornatus', in quo hyacinthinus flos suavitate fulgens omnes supereminet plantas. qua re quantumvis ceteroquin Vergilius hanc Catulli descriptionem variaverit, tamen ab altera parte apertus consensus originem illius similitudinis manifesto vindicat. itaque etiam Ovidii imaginem huc spectantem etsi non directe tamen Vergilio intercedente eodem e fonte manasse nobis censendum est.

Superest, ut unam tantummodo imaginem hoc loco recenseam, qua Ovidium Catulli auctoritatem spectasse scite observavit Zingerle I 54. contulit enim eam imaginem, qua Ovidius Met. X 594 sqq. colorem virginis Atalantae cum Hippomene cursu certantis hunc in modum exornavit:

inque puellari corpus candore ruborem
traxerat, haud aliter, quam cum super atria velum
candida purpureum simulatas inficit umbras,

cum Catulli LXIV 307 sq.:

his corpus tremulum conplectens undique vestis
candida purpurea talos incinxerat ora.

licet igitur imaginem ex umbra veli petitam Ovidius ipse invenerit, tamen eum ad hoc inventum Catulli loco tamquam manu ductum esse unicuique patet.

Haec igitur de Catulli imaginibus, quas imitando expressit Ovidius. nam in aliis similitudinibus Ovidianis vix certa quaedam deprehendas vestigia imitationis Catullianae, nisi forte cum Zingerleo statuis Nasonem eis Catulli imaginibus, quae extant c. VII 3 sqq. et c. LXI 202 sqq. excitatum esse, ut in similitudine, qua numerum dolorum in exilio illustravit Trist. I 5, 47 sq., sidera simul cum pulvere induceret. si autem tam raro Ovidium in similitudinibus Catulli imitatorem extitisse videmus, id minime nos miros habere debet, quoniam haec quidem res facillime explicatur eo, quod Catullus ipse paucissimas tantum habet imagines.

Iam ad VERGILIUM transeuntes priusquam ab imaginibus ex variis animalibus petitis exordiamur, locum Ovidianum tractare iuvabit, ubi per plurium imaginum complexionem pari modo et Theocriti et Vergilii imitatio conspicua est. quicumque enim fabulam Metam. libri XIII, in qua de Acide in flumen commutato agitur, perlegerit, is sine dubio vel maxime delectatus erit ea similitudinum coacervatione, qua Ovidius vv. 789 sqq. Cyclopem Galateam hunc in modum praedicantem facit:

candidior folio nivei, Galatea, ligustri,
floridior pratis, longa procerior alno,
splendidior vitro, tenero lascivior haedo,
levior adsiduo detritis aequore conchis,
solibus hibernis, aestiva gratior umbra,
nobilior palma, platano conspectior alta,
lucidior glacie, matura dulcior uva,
mollior et cycni plumis et lacte coacto,
et, si non fugias, riguo formosior horto,
saevior indomitis eadem Galatea iuvencis,
durior annosa quercu, fallacior undis,
lentior et salicis virgis et vitibus albis,
his inmobilior scopulis, violentior amne,
laudato pavone superbior, acrior igni,
asperior tribulis, feta truculentior ursa,
surdior aequoribus, calcato inmitior hydro,
et, quod praecipue vellem tibi demere possem,
non tantum cervo claris latratibus acto,
verum etiam ventis volucrique fugacior aura!

hac descriptione tota Ovidium manifesto Theocriti spectasse auctoritatem iam vidit Gebauer in libro, quem 'de poetarum Graecorum bucolicorum in primis Theocriti carminibus in eclogis a Vergilio expressis' conscripsit p. 239 sqq. sed, quod erat eius propositum,

hanc quaestionem in transcursu potius tetigit quam tractavit; qua re iam id mihi sumo, ut, quanto opere Naso hac tota descriptione proposita ad Vergilii et Theocriti auctoritatem sese composuerit, demonstrem. nondum enim a Gebauero animadversum est Ovidium ipso Vergilii loco, ecl. VII 37 sq., excitatum esse, ut tanto similitudinum cumulo Cyclopem Galateam praedicantem faceret. nam cum ibidem Maro primum Corydonem haec in Galateae laudem canentem fingat:

Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae,
candidior cycnis, hedera formonsior alba,

et deinde v. 41 sq. Thyrsidem haec respondentem faciat:

immo ego Sardoniis videar tibi amarior herbis,
horridior rusco, proiecta vilior alga,

quid iam apertius planiusve est quam Ovidium hunc Vergilii locum respicientem descriptionem suam ita instituisse, ut, quem ad modum hic similitudinibus in stropha adhibitis alias in antistropha opposuit, ita ipse Cyclopem eis imaginibus, quae vv. 789—797 complectuntur, Galateam laudantem, imaginibus autem inde a vv. 798—807 eandem reprehendentem fecerit? quodsi ita statuimus, nihil certe impedit, quominus Naso simul eius loci Theocritei memorem sese praestitisse credatur, quem ipsum Vergilium in eadem ecloga conscribenda ante oculos habuisse ostendit Gebauerus, dico idyll. XI vv. 19 sqq.:

Ὦ λευκὰ Γαλάτεια, τί τὸν φιλέοντ' ἀποβάλλῃ;
λευκοτέρα πακτᾶς ποτιδεῖν, ἁπαλωτέρα ἀρνός,
μόσχω γαυροτέρα, φιαρωτέρα ὄμφακος ὠμᾶς.
φεύγεις δ' ὥσπερ ὄϊς πολιὸν λύκον ἀθρήσασα.

hac e Theocriti descriptione Ovidium complura petiisse recte observavit Gebauerus. animadvertit enim p. 239 Nasonem eum dicendi usum, quo post positivum λευκὰ comparativus λευκοτέρα infertur, recepisse Am. III 5, 9 sqq.:

ecce, petens variis immixtas floribus herbas
constitit ante oculos candida vacca meos,
candidior nivibus,[19]) *tunc cum cecidere recentes,*
in liquidas nondum quas mora vertit aquas.

---

[19]) Huic loco alterum addo ex P. II 5, 37 sq., ubi eadem imago coniuncta cum similitudine ad lactem pertinente sensu translato de mente candida adhibetur:

porro statuit prius hemistichium Theocriti v. 20 λευκοτέρα πακτᾶς ποτιδεῖν Ovidium expressisse v. 789: 'candidior....' et v. 796:

mollior et cycni plumis et lacte coacto,

quamquam equidem propensior sum ad credendum Nasonem verbis 'mollior lacte coacto' expressisse v. 26 idyll. XX:

τὸ στόμα καὶ πακτᾶς ἁπαλώτερον, ἐκ στομάτων δέ.

nam hoc quoque idyllium Ovidium penitus memoria sua tenuisse aliis imitationibus, quae huc pertinent, examinatis infra ostendemus. ceterum mihi quidem eiusdem versus Theocritei (XI 20) hemistichium posterius ἁπαλωτέρα ἀρνός Ovidius reddidisse videtur verbis 'tenero lascivior haedo' v. 791, cum adiectivum 'lascivior' optime respondere illi γαυροτέρα, quod legitur v. 21, iam a Gebauero animadversum sit. unde patet, quam perverse egerint Hartungius et Ahrensius versum illum Theocriteum ab interpolatore quodam profectum esse statuentes.

Porro scite observavit Gebauer Ovidium verbis 'matura dulcior uva' v. 795 variasse id, quod legitur in posteriore hemistichio v. 21 Theocritei φιαρωτέρα ὄμφακος, et praeterea adiectivum φιαρωτέρα reddidisse voce 'lucidior' in v. 795 primo. si vero Gebauer putat Nasonem etiam verbis 'splendidior vitro' v. 791 illud φιαρωτέρα ante oculos habuisse, vereor ne id cupidius quam verius statuerit. nam quin Ovidius hac similitudine Horatianum illud

o fons Bandusiae, splendidior vitro

III 13, 1 expresserit, equidem nullus dubito. itemque fallitur Gebauer, cum p. 240 dicat omnia ea, quae inde a v. 798 apud

---

non ego laudandus, sed sunt tua pectora lacte
et non calcata candidiora nive.

tertius legitur epist. XV 249 sq.:

pectora vel puris nivibus, vel lacte tuamque
complexo matrem candidiora Iove.

utrique imagini tertiam adiunctam praebet Ovidius de cycno desumptam; nam eis, quae leguntur in v. 250 significatur Iuppiter, qui cycni forma praeditus ad Ledam devolavit. atque imagine a lactis colore petita praeter Theocritum idyll. XI 20 usus est Apollonius Arg. IV 975 sq. πᾶσαι δὲ γάλακτι εἰδόμεναι, altera de nive deprompta apud Catullum legitur c. LXXX 1 sq. 'labella hiberna . . . . candidiora nive', et apud Homerum Il. κ 437 λευκότεροι χιόνος, tertia, quae est de cycno, conferri potest cum Verg. ecl. VII 38 'candidior cycnis'. cf. quoque quae exposuimus p. 33.

Ovidium legantur, hunc ipsum finxisse. nam conflavit poeta hanc descriptionem totam e variorum poetarum imitatione ita quidem, ut vix unam proferre possis similitudinem, in qua componenda non alius poetae Ovidius secutus sit exemplum. atque aliae ex his imaginibus nihil sunt nisi variationes earum similitudinum, quarum originem iam in prima huius dissertationis deteximus. sic Ovidius ea imagine, quae extat in versu 804 'calcato inmitior hydro', variavit et in brevius contraxit Homeri similitudinem illam de angue a viatore viso vel pede presso sive calcato Il. γ 33 sqq., quam imaginem Nasonem in deliciis habuisse inde coarguitur, quod eam praeter hunc locum bis usurpavit, Fast. II 341 sq. et A. A. II 376. itemque has ambas similitudines, quae in v. 806 sq. leguntur:

non tantum cervo claris latratibus acto,
verum etiam ventis volucrique fugacior aura,

ad Homeri praedium pertinere bene cognitum habebis, si ea, quae iam disputavimus, recordaberis. nam prior imago de cervo claris latratibus acto aperte congruit cum Homeri similitudinibus Il. ο 271 sq.:

οἱ δ' ὥστ' ἢ ἔλαφον κεραὸν ἢ ἄγριον αἶγα
ἐσσεύαντο κύνες . . . .

et Il. χ 189 sq.:

ὡς δ' ὅτε νεβρὸν ὄρεσφι κύων ἐλάφοιο δίηται,
ὄρσας ἐξ εὐνῆς . . . .

in altera autem imagine ad auram pertinente eundem Homerum praeivisse iam ostendimus ibi, ubi de similitudine, quae legitur Il. κ 437, disseruimus, quam Ovidius etiam Met. III 209 verbis 'velocius aura' imitando expressit. cf. p. 33 sq.

Aliae porro imagines huius loci Ovidiani ad alios redeunt poetas, de quibus mox expositurі sumus. huc pertinet ea imago, quae extat in v. 801 'his inmobilior scopulis', et ea, quae legitur in v. 804 'surdior aequoribus', quas Ovidium eodem modo Horatio debere quam illud 'splendidior vitro' postea demonstrabitur. itemque ostendetur eam imaginem, quam v. 798 complectitur:

saevior indomitis eadem Galatea iuvencis,

fundum habere in Propertii imagine II 4, 3 sq. B.

Aliae denique imagines ita sunt comparatae, ut eas Ovidius ipse excogitasse videatur. quamquam, si hanc descriptionem totam

etiam atque etiam perlustraveris, sponte intelleges eam sermonem Vergilianum tamquam spirare, quoniam plurima in Ovidii versibus ad varios locos in Maronis carminibus extantes revocari possunt. ac primum quidem singula in versu 789 spectantibus:

candidior folio nivei, Galatea, ligustri

patet adiectivum 'candidior' respondere illi 'candidior', quod legitur in versu 38 primo eclogae Vergilianae. quae res certe non redarguitur eo, quod paulo supra Gebauerum secuti statuimus Ovidium Theocriti λευκοτέρα (idyll. XI 20) ante oculos habuisse. nam cum utriusque poetae locos Nasonem memoria sua tenuisse constet, eo facilius in comparativum 'candidior' incidere potuit. si porro Ovidius verbum 'hedera' in v. 38 ecl. Verg. VII:

candidior cycnis, hedera formonsior alba

commutavit cum voce 'ligustrum', recordatus est sine dubio initii v. 18 ecl. II 'alba ligustra cadunt....' quod autem Naso in altero versus 790 hemistichio Galateam 'proceriorem alno' dicit, in eo memorem sese praestitit ecl. VI v. 63 'atque solo proceras erigit alnos'. adde quod eius, qui sequitur, Ovidii versus (793) initium:

solibus hibernis, aestiva gratior umbra

in memoriam nobis revocat Georg. II 481 sq. 'soles hiberni', quod similitudinibus, quae continentur v. 794 'nobilior palma, platano conspectior alta', v. 799 'durior annosa quercu', v. 800 'lentior et salicis virgis et vitibus albis', perlectis reduceris ad Verg. ecl. VII 61 sqq., ubi complures arbores describuntur, et ad Aen. IV 441 'ac velut annoso validam cum robore quercum', quod denique verbis 'cycni plumis' in v. 796 Naso nihil aliud expressisse videtur, quam illud 'candidior cycnis' Verg. ecl. VII 38. similitudine autem, quae legitur in v. 803 'asperior tribulis', Ovidius transtulit et simul variavit Theocritea idyll. VI 15 sq.:

ἁ δὲ καὶ αὐτόθε τοι διαθρύπτεται, ὡς ἀπ' ἀκάνθας
ταὶ καπυραὶ χαῖται . . . .

et ea, quae sequitur imagine, 'feta truculentior ursa' respexit idyll. XI v. 41:

. . . . καὶ σκύμνως τέσσαρας ἄρκτων.

praeterea notandum est pavonis imaginem in v. 802 'laudato pavone superbior' per collationem usurpatam legi Med. fac. v. 33 sq.:

laudatas homini volucris Iunonia pennas
explicat, et forma multa superbit avis.

quibus omnibus perpensis sponte intelleges Ovidium variorum poetarum flosculos e plurimis locis decerptos in hanc, de qua sermo est, descriptionem congessisse ita, ut ne unam quidem ex hac similitudinum complexione proferre possis imaginem, quam Naso ipse invenisse putandus sit.[30])

Hoc loco adiciam Ovidium ex Vergilii ecloga septima etiam id, quod legitur in v. 42 'proiecta vilior alga', et simul Horatianum c. III 17, 10 sq. 'alga litus inutili.... tempestas .... sternet' respexisse epist. XVII 107 sq., ubi Leandrum hac similitudine utentem facit:

non magis illius numerari gaudia noctis,
Hellespontiaci quam maris alga potest.

quibus cum versibus ea comparari possunt, quae leguntur epist. VII 172 'nunc levis eiectam continet alga ratem'.

Est autem, ut ad Polyphemi cantilenam Met. XIII 789 sqq. redeam, operae pretium demonstrare, quanto opere Ovidius etiam descriptione ad Polyphemum pertinente, quae antecedit aut statim sequitur, Theocriti aliorumque poetarum exempla secutus sit. quam rem si hoc loco exponam, haud ingratum me facturum esse spero legentibus, quoniam haec quaestio a nemine dum tractata est, nisi quod Gebauer in l. c. et Fritzschius in commentariis ad Theocritum hic illic, prout occasio sese obtulit, quaedam adnotarunt.

---

[30]) Paucis liceat mihi hac occasione agere de Gebaueri coniectura, qui p. 240 adn. 3 suspicatus est aut priori parti similitudinum complexionis versum addendum aut posteriori versum demendum esse propterea, quod numerus eorum versuum, quibus poeta Polyphemum Galateam laudantem fecit (v. 789—797), uno versu minor est, quam numerus illorum, quibus nympha a Cyclope reprehenditur (v. 798—807). verum hanc coniecturam ille mihi quidem praesumpta quadam de parilitate opinione calidius quam circumspectius fecisse videtur. nam accuratius hanc imaginum coacervationem intuenti eiusque singulas partes inter se conferenti patebit Ovidium, etsi aequabilitati cuidam in hac descriptione studuit, tamen nequaquam eam parilitatem, quae in strophis vel antistrophis conspicitur, consectatum esse. quae res vel eo conficitur, quod in priore parte similitudinum complexionis totidem (dico XV) sese offerunt imagines, quot in posteriore parte. quam imaginum distributionem poetam de industria sic instituisse intellegitur.

Poeta enim in fabula VIII Metamorphoseon libri XIII Galateam narrantem facit, quanto amore ipsa a Cyclope amata sit. qua in re nympha Polyphemi amorem inde a v. 762 sq. hunc in modum describit:

quid sit amor, sentit validaque cupidine captus
uritur, oblitus pecorum antrorumque suorum.

qua cum descriptione prorsus congruit Theocritus, cuius in idyll. XI vv. 11 sqq. Cyclops Galateae amore incensus et immemor pecorum suorum sic inducitur:

ἀλλ' ὀρθαῖς μανίαις, ἁγεῖτο δὲ πάντα πάρεργα.
πολλάκι ταὶ ὄϊες ποτὶ τωὔλίον αὐταὶ ἀπῆνθον
χλωρᾶς ἐκ βοτάνας· ὁ δὲ τὰν Γαλάτειαν ἀείδων
αὐτεῖ ἐπ' ἀϊόνος κατετάκετο φυκιοέσσας
ἐξ ἀοῦς . . . .

ac Polyphemum pecudes neglexisse apud Ovidium repetitur v. 781:

lanigerae pecudes nullo ducente secutae.

sed superare studuit poeta Latinus Theocriti descriptionem, cum id, quod hic verbis ἁγεῖτο δὲ πάντα πάρεργα expressit, ille apertius atque planius vv. 768 sq. sic significaverit:

caedis amor feritasque sitisque inmensa cruoris
cessant, et tutae veniuntque abeuntque carinae.

si autem Ovidius vv. 764 sqq. Polyphemum formae suae consulentem fingit his verbis:

iamque tibi formae, iamque est tibi cura placendi,
iam rigidos pectis rastris, Polypheme, capillos,
iam libet hirsutam tibi falce recidere barbam
et spectare feros in aqua et conponere vultus,

non tam imitatus quam aemulatus est Theocritum, qui idyll. VI vv. 34 sqq. haec habet:

καὶ γάρ θην οὐδ' εἶδος ἔχω κακόν, ὥς με λέγοντι·
ἦ γὰρ πρᾶν ἐς πόντον ἐσέβλεπον, ἦς δὲ γαλάνα,
καὶ καλὰ μὲν τὰ γένεια, καλὰ δέ μευ ἁ μία κώρα.

nam ex utriusque loci collatione adparet in Ovidii descriptione id esse proprium, quod Polyphemum crines hirsutos rastris fingentem et barbam hispidam falce tondentem facit, quae omnia Cyclopis rusticitatem venustissime depingere nemo non intellegit.

Habet autem Ovidius comitem huius imitationis Theocriteae Vergilium, qui ecl. II vv. 25 sqq. eundem Siculi poetae locum manifesto sic imitatus est:

nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,
cum placidum ventis staret mare; non ego Daphnim
iudice te metuam, si numquam fallit imago.

cuius descriptionis singulas partes Maronem e locis quibusdam Theocriteis deprompsisse demonstravit Gebauerus p. 155 sq.

In eis, quae inde a v. 770—777 proxime secuntur, Ovidius vatis illius Telemi Eurymidis mentionem facit, qui Polyphemo vaticinatus erat, Ulixem ei unum media in fronte oculum erepturum esse. qua in descriptione Ovidius non tam Theocriti, qui idyll. VI v. 23 hanc Telemi vaticinationem in transcursu tantum tetigit, memorem sese praestat, quam Homeri descriptionis Od. ι 507 sqq., id quod utriusque poetae locis obiter tantum inspectis intellegitur.

Quodsi Naso inde a v. 778 sqq. Cyclopem montem escendentem atque ibi cantum suum incipientem fingit, manifesto Theocriti exemplum secutus est, qui idyll. XI v. 17 sq. haec habet:

ἀλλὰ τὸ φάρμακον εὗρε, καθεζόμενος δ' ἐπὶ πέτρας
ὑψηλᾶς ἐς πόντον ὁρῶν ἄειδε τοιαῦτα.

porro v. 784:

sumptaque harundinibus conpacta est fistula centum

Ovidius aliquatenus pressisse mihi videtur Vergilii vestigia, quippe qui de eadem re compingendi [31]) verbum adhibuerit ecl. II v. 36 sq.:

est mihi disparibus septem compacta cicutis
fistula.

quod autem ille fistulam centum harundinibus compactam fuisse et omnes montes et fluctus personuisse narrat, haec omnia utpote in Cyclopis personam optime convenientia ipse lepide invenisse putandus est. sed Polyphemi cantilena ut ad Theocriti exemplum composita est, ita multis locis summum studium prodit variandi atque aemulandi. qua de re cum iam supra expositum sit, hoc loco id unum addam Nasonem pro eis, quae in Polyphemi cantilena v. 24 apud Theocritum leguntur:

φεύγεις δ' ὥσπερ ὄϊς πολιὸν λύκον ἀθρήσασα,

quibus verbis Galateae timiditas illustratur, has substituisse similitudines:

non tantum cervo claris latratibus acto,
verum etiam ventis volucrique fugacior aura!

---

[31]) συμπῆξαι et πῆξαι Theocr. idyll. VIII 23, IV 28.

quarum fundum in Homeri imaginibus quibusdam esse supra docuimus.

In his omnibus igitur rebus Ovidium Theocritum non tam imitatum quam aemulatum esse videmus. nam neutiquam satis duxit quaedam ex Theocriteis in usum suum convertere, sed exemplum suum imaginum et numero et ornatu superare voluit. atque idem iudicium ferre licet de eis, quae Ovidius post Cyclopem canentem facit. nam si Polyphemus Galateam his allicere studet versibus:

at bene si noris, pigeat fugisse morasque
ipsa tuas damnes et me retinere labores,

sine dubio variavit atque auxit id, quod legitur in posteriore hemistichio v. 42 eiusdem idyll. XI:

ἀλλ' ἀφίκευσο ποθ' ἁμέ, καὶ ἑξεῖς οὐδὲν ἔλασσον.

quae autem leguntur in fronte versus sequentis 810 'sunt mihi', quibus verbis Polyphemus divitias suas enumerare incipit, redolent Vergilium ecl. II 36 sq.:

est mihi disparibus septem compacta cicutis
fistula.

ad proxima si attenderis, quibus Polyphemus v. 810—812 domicilium suum describit, apud Theocritum nihil reperies, cui haec Ovidii descriptio respondeat. contra vero e poetae Siculi imitatione natum est id, quod legitur inde a v. 812—820, qua descriptione Cyclops varios, quibus abundat praedium eius, fructus his verbis extollit:

. . . *sunt poma gravantia ramos,*
sunt auro similes longis in vitibus uvae,
sunt et purpureae: tibi et has servamus et illas.
ipsa tuis manibus silvestri nata sub umbra
mollia fraga leges, ipsa autumnalia corna
prunaque, non solum nigro liventia suco,
verum etiam generosa novasque imitantia ceras.
nec tibi castaneae me coniuge, nec tibi deerunt
arbutei fetus: omnis tibi serviet arbos.

nam hac in descriptione componenda, quin Ovidio hic locus (idyll. XI 45 sqq.) ante oculos obversatus sit:

ἐντὶ δάφναι τηνεῖ, ἐντὶ ῥαδιναὶ κυπάρισσοι,
ἔστι μέλας κισσός, ἔστ' ἄμπελος ἁ γλυκύκαρπος,
ἔστι ψυχρὸν ὕδωρ, τό μοι ἁ πολυδένδρεος Αἴτνα,

nemo puto dubitabit. qua re vides probari atque confirmari id, quod modo diximus, Nasonem plerumque ea, quae Theocritus brevissime indicavit, auxisse atque amplificavisse.

Singula autem loci Ovidiani si spectamus, notabilis videtur ille usus, ex quo Ovidius v. 814 sic clausit 'tibi et has servamus et illas', quocum conferas v. 837 'dominae servabimus istos'. quem usum poetam e Theocrito didicisse, apud quem eadem ratione clauduntur idyll. III v. 22:

τόν τοι ἐγών, Ἀμαρυλλὶ φίλα, κισσοῖο φυλάσσω,

et v. 34:

ἦ μάν τοι λευκὰν διδυματόκον αἶγα φυλάσσω,

denique idyll. V v. 105:

. . . . τᾷ παιδὶ δὲ ταῦτα φυλάσσω,

scite iam observavit Gebauerus p. 162, ubi de Vergilii ecl. II v. 42 disseruit, qui in eandem clausulam sic desinit:

bina die siccant ovis ubera: quos tibi servo.

praeterea Ovidius in eo quoque, quod verbum 'sunt' in fronte v. 810 positum ter repetivit, sine dubio Theocritum secutus est, apud quem ἐντί et primum locum versus 45 obtinet et iteratur in posteriore hemistichio eiusdem versus, verbum ἔστι autem bis in v. 46 et semel in sequenti versu positum est.

Iam inde a v. 821 Polyphemus pecorum suorum ubertatem his praedicat versibus:

hoc pecus omne meum est; multae quoque vallibus errant,
multas silva tegit, multae stabulantur in antris.
nec, si forte roges, possim tibi dicere, quot sint.
pauperis est numerare pecus. de laudibus harum
nil mihi credideris: praesens potes ipsa videre,
ut vix circumeant distentum cruribus uber.
sunt, fetura minor, tepidis in ovilibus agni,
sunt quoque, par aetas, aliis in ovilibus haedi.
lac mihi semper adest niveum. pars inde bibenda
servatur, partem liquefacta coagula durant.

hac tota descriptione aperte sese adplicavit Ovidius ad Theocriti v. 34—37 eiusdem idyll. XI, ubi haec leguntur:

ἀλλ' ωὗτός, τοιοῦτος ἐών, βοτὰ χίλια βόσκω,
κἠκ τούτων τὸ κράτιστον ἀμελγόμενος γάλα πίνω·
τυρὸς δ' οὐ λείπει μ' οὔτ' ἐν θέρει οὔτ' ἐν ὀπώρᾳ,
οὐ χειμῶνος ἄκρω· ταρσοὶ δ' ὑπεραχθέες αἰεί.

quo loco ut amplificandi, ita variandi et contaminandi studium in Ovidio conspicitur. nam v. 829 nobis in memoriam revocantur Verg. ecl. II v. 22 'lac mihi non aestate novom, non frigore defit' et v. 20 'nivei quam lactis[32]) abundans'. proximis autem verbis:

pars inde bibenda
servatur, partem liquefacta coagula durant

in brevius contraxisse videtur ea, quae apud Homerum leguntur Od. ι 246 sqq.:

αὐτίκα δ' ἥμισυ μὲν θρέψας λευκοῖο γάλακτος
πλεκτοῖς ἐν ταλάροισιν ἀμησάμενος κατέθηκεν,
ἥμισυ δ' αὖτ' ἔστησεν ἐν ἄγγεσιν, ὄφρα οἱ εἴη
πίνειν αἰνυμένῳ καὶ οἱ ποτιδόρπιον εἴη.

itemque omittendum non est id, quod scite observavit Gebauerus p. 229 verbum 'distendere' in v. 826:

ut vix circumeant distentum cruribus uber

sollemne esse apud poetas latinos veluti apud Vergilium, cuius in ecl. IV v. 21 sq. hoc legitur:

ipsae lacte domum referent distenta capellae
ubera.

praeterea videsis eiusdem ecl. IX v. 31 et Georg. III v. 396, quibus locis adde Lucr. I 259 et Hor. Sat. I 1, 110; Epod. II 46.

Iam vero in eis, quae secuntur, inde a v. 831—837 Polyphemus Galateam his deliciis, quas ei pollicetur, allicere studet:

nec tibi deliciae faciles vulgataque tantum
munera contingent, dammae leporesque caperque
parve columbarum demptusve cacumine nidus:
inveni geminos, qui tecum ludere possint,
inter se similes, vix ut dignoscere possis,
villosae catulos in summis montibus ursae,
inveni et dixi 'dominae servabimus istos'.

haec tota descriptio Ovidium potius aemulatorem quam imitatorem Theocriti prodit, cuius in idyll. XI v. 40 sq. Polyphemus Galateae haec promittit:

. . . τράφω δέ τοι ἕνδεκα νεβρώς,
πάσας μηνοφόρως, καὶ σκύμνως τέσσαρας ἄρκτων.

atque utriusque poetae locos inter se conferenti primum quidem liquet Nasonem pro capreis dammas substituisse. deinde novum

[32]) Cf. Fast. IV 151, 780.

est hoc, quod Ovidius lepores, caprum, columbarum par, nidum e cacumine demptum in descriptione induxit. denique felicissime versatus est poeta in eo, quod Theocritum aemulatus geminos catulos ursae villosae exhibuit. qua in re admonitione vix opus est poetam de industria eodem modo, quo Theocritus, vocem 'ursae' ultimo loco posuisse.

Sed ne quis opinetur Ovidium e solo Theocrito pendere, perlustres velim Vergilii v. 40—42 eclogae II, ubi Maro eundem Siculi poetae locum sic imitatus est:

praeterea duo nec tuta mihi valle reperti
capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo;
bina die siccant ovis ubera: quos tibi servo.

qui locus quantam vim in Ovidii mentem exercuerit, certe neminem effugere potest. nam primum quidem statuendum est Nasonem sine dubio Vergilium respicientem catulorum numerum minuisse. deinde imitatio Vergiliana conspicitur in repetito verbo 'inveni', quippe quo Ovidius illud Maronis 'capreoli reperti' reddiderit. denique Naso verbis Vergilianis 'sparsis etiam nunc pellibus albo, bina die siccant ovis ubera' (scilicet 'capreoli reperti') excitatus esse videtur, ut catulos geminos similes inter se, ut vix dignosci possent, induceret.

Iam Polyphemus continere sese non potest, quin v. 838 sq. Galateam his verbis invitet, ut ad se veniat:

iam modo caeruleo nitidum caput exere ponto,
iam, Galatea, veni, nec munera despice nostra.

his quoque in versibus Ovidianis conspicua est Theocritea imitatio, quandoquidem Naso manifesto idyll. XI v. 63 sq. spectavit:

ἐξένθοις Γαλάτεια καὶ ἐξενθοῖσα λάθοιο
ὥσπερ ἐγὼν νῦν ὧδε καθήμενος οἴκαδ' ἀπενθεῖν.

quae imitatio ita est comparata, ut non solum singulae sententiae, verum etiam singula verba inter sese respondeant. sed Ovidium praeter hunc Theocriti locum etiam prius hemistichium v. 42 eiusdem idyllii: ἀλλ' ἀφίκευσο ποθ' ἁμέ ante oculos habuisse ex ipsa utriusque loci collatione sponte adparet.

Versibus, qui proxime secuntur, Cyclops de corporis sui pulchritudine minime dubitat; nam Ovidius eum haec canentem facit:

certe ego me novi liquidaeque in imagine vidi
nuper aquae, placuitque mihi mea forma videnti.

qua descriptione redit Ovidius ad imitationem eius loci idyllii VI, quem ab eo iam alibi expressum esse supra vidimus, dico versus 34 sq.:

καὶ γάρ θην οὐδ' εἶδος ἔχω κακόν, ὥς με λέγοντι·
ἦ γὰρ πρᾶν ἐς πόντον ἐσέβλεπον, ἦς δὲ γαλάνα,

simulque ante oculos habuit Vergilii versus ecl. II 25 sq.:

nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,
cum placidum ventis staret mare.

Itaque iam ad proxima pergamus, ubi Ovidium et Theocriti et Vergilii, quos adhuc secutus est, immemorem aliena hanc in fabulam de Cyclope intulisse ostendam. Polyphemus enim iam adeo superbit, ut sese ipsum inde a v. 842 sqq. cum Iove conferre non dubitet:

adspice, sim quantus. non est hoc corpore maior
Iuppiter in caelo: nam vos narrare soletis
nescio quem regnare Iovem.

idemque adparet e v. 857 sq., ubi Cyclops haec dicit:

quique Iovem et caelum sperno et penetrabile fulmen,
Nereï, te vereor: tua fulmine saevior ira est.

quae cum nec apud Theocritum nec apud Vergilium legantur suspiceris fortasse Ovidium recordatum esse Homeri, qui eadem fere de Cyclopum genere narrat Od. ι 275 sq.:

οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν
οὐδὲ θεῶν μακάρων, ἐπειὴ πολὺ φέρτεροί εἰμεν.

sed non tam Homerum respexit quam Euripidis Cyclopem v. 320 sqq., ubi haec leguntur:

Ζηνὸς δ' ἐγὼ κεραυνὸν οὐ φρίσσω, ξένε
οὐδ' οἶδ' ὅτι Ζεύς ἐστ' ἐμοῦ κρείσσων θεός.
οὔ μοι μέλει τὸ λοιπόν.

quae res cum per se clamet, id unum addam Ovidium Euripidea οὐδ' οἶδ' reddidisse verbo 'nescio'. ceterum admonitione vix indiget ipsum Euripidem redire ad Homerum.

Pergentes in hoc loco explicando Polyphemum inde a v. 844 corporis sui pulchritudinem praedicare videmus. qua in re primum quidem comam suam his extollit verbis:

. . . . *coma plurima torvos*
prominet in vultus umerosque, ut lucus, obumbrat.

qua descriptione Ovidius aperte sese composuit ad Theocriti idyllii XX v. 21 sqq.:

καὶ γάρ ἐμοὶ τὸ πάροιθεν ἐπάνθεεν ἁδύ τι κάλλος
ὡς κισσὸς ποτὶ πρέμνον, ἐμὰν δ' ἐπύκαζεν ὑπήναν,
χαῖται δ' οἷα σέλινα περὶ κροτάφοισι κέχυντο,

unde iam 'obumbrat' Graeco ἐπύκαζεν respondere intellegitur.

Iam laudat Cyclops saetas horridissimas, quibus corpus eius riget:

846 nec mea quod rigidis horrent densissima saetis
corpora, turpe puta. turpis sine frondibus arbor,
848 turpis equus, nisi colla iubae flaventia velent,
850 barba viros hirtaeque decent in corpore saetae.

qua descriptione Ovidius certavisse putandus est cum poeta Siculo, quippe cuius Cyclops de saetarum turpitudine minime dubitet. nam si apud Theocritum Polyphemus idyll. XI v. 50 sqq. Galateae haec suadet:

αἱ δέ τοι αὐτὸς ἐγὼν δοκέω λασιώτερος ἦμεν,
ἐντὶ δρυὸς ξύλα μοι καὶ ὑπὸ σποδῷ ἀκάματον πῦρ·
καιόμενος δ' ὑπὸ τεῦς καὶ τὰν ψυχὰν ἀνεχοίμαν,

suo ingenio suaque arte usus est Ovidius, quoniam Cyclopis rusticitatem optime eo quidem significavit, quod eum contra Theocritum saetas corpori decoras esse affirmantem fecit.

Versibus 847 sqq. autem repetivit et variavit Ovidius ea, quae legimus A. A. III 249 sq.:

turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
et sine fronde frutex, et sine crine caput.

sine dubio enim Naso, cum Polyphemum affirmantem fecisset saetas in corpore decere, huius loci iam pridem compositi recordatus est, quo variis sententiis allatis comprobare studuit caput sine crine turpe esse.

Mox Polyphemus oculum suum carissimum media in fronte positum his praedicat imaginibus:

851 unum est in media lumen mihi fronte, sed instar
ingentis clipei. quid? non haec omnia magno
sol videt e caelo? soli tamen unicus orbis.

cuius descriptionis verba 'unum est in media lumen mihi fronte' apte comparabuntur cum priore hemistichio Theocriti idyll. XI 33:

εἷς δ' ὀφθαλμὸς ἔπεστι.[33]) quod autem ad ipsas imagines attinet, quibus Polyphemi oculus illustratur, iam a multis aliis animadversum est Ovidium hac in re presse secutum esse Vergilium, qui Aen. III 635 sqq. haec habet:

. . . et telo lumen terebramus acuto
ingens, quod torva solum sub fronte latebat,
Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar.

qua in imitatione hoc quoque velim observes, quod Naso clipei imaginem eadem comparationis particula adhibita induxit, qua apud Maronem ambae imagines proferuntur. si autem Ovidius alteram solis imaginem per metaphoram sic circumscripsit:

. . . quid? non haec omnia magno
sol videt e coelo? soli tamen unicus orbis,

sine dubio cum Vergilio certavit. nam etsi Naso metaphorice eandem exhibet imaginem quam Vergilius, tamen illius descriptio ita est comparata, ut Polyphemi superbia quam maxime efferatur.

Sed modo Cyclops, qui cum Iove sese conferre ausus est, ad humillimas preces descendit. nam non pudet eum Galateae sic supplicare:

. . . . tantum miserere precesque
supplicis exaudi: tibi enim succumbimus uni.

quo loco respexisse videtur Ovidius Verg. ecl. II 7 'nil nostri miserere', quocum conferri potest Theocr. VII 119:

. . . ἐπεὶ τὸν ξεῖνον ὁ δύσμορος οὐκ ἐλεεῖ μευ.

verba autem 'tibi enim succumbimus uni' apte comparabuntur cum Theocrit. III 32 sq.:

ἁ πρᾶν ποιολογεῦσα Παραιβατίς, οὕνεκ' ἐγὼ μέν
τὶν ὅλος ἔγκειμαι, τὺ δέ μευ λόγον οὐδένα ποιῇ.

cuius imitationis probabilitas vel maxime paratur eo, quod Ovidius ultimum cantilenae versum (869) 'nec tu, Galatea, moveris' manifesto conformavit ad extrema verba loci Theocritei supra propositi: τὺ δέ μευ λόγον οὐδένα ποιῇ, quibuscum conspirat, quod legitur idyll. XI 29 τὶν δ' οὐ μέλει, οὐ μὰ Δί', οὐδέν.

Sed iam ad imagines Ovidianas, quae ad Vergilium solum referendae sunt, explicandas nos vertamus. qua in re initio capto

---

[33]) Conspirat cum v. 851 ex parte etiam locus Hesiodi Theog. 143 μοῦνος δ' ὀφθαλμὸς μέσσῳ ἐπέκειτο μετώπῳ.

ab imaginibus ex animalibus petitis primo loco similitudinem recensere mihi in animo est, quae, licet ea brevissima sit, tamen certo ad Vergilii exemplum quoddam potest revocari. inter alias enim similitudines, quibus Ovidius magnum numerum illustravit, eam quoque reperies, quae ab avibus deprompta est. sic poeta A. A. I 55 sq. numerum puellarum, quae Romae sunt, praeter alias imagines avibus quoque illustravit, quae ramis arborum occultantur:

tot tibi tamque dabit formonsas Roma puellas,
quot . . . fronde teguntur aves.

praeterea cf. Trist. V 2, 26, ex P. II 7, 27, ubi eadem imago numero illustrando inservit, quo ostendatur, quot malis miseriisque afflictus sit poeta in exilio.

Cuius imaginis usum Ovidius mihi petiisse videtur e Vergilii Georg. IV 473 sq., quo loco ille umbrarum numerum, quae Orphei cantu ductae confluxisse dicuntur, sic illustravit:

quam multa in foliis avium se milia condunt,
vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber.

Praeter has, quas modo tractavimus imagines, nulla alia reperitur similitudo Ovidiana eiusdem generis, cuius fontem in Vergilii loco quodam inesse contendi possit. contra complures imagines e tauri natura depromptae Nasonem tam manifesto Vergilii produnt imitatorem, ut de earum origine ne minima quidem sit dubitatio.

Ac primum quidem utrique poetae tauri pugnantes aptam praebuerunt effigiem, qua pugnandi rationem in certamine singulari illustrarent. sic apud Ovidium Met. IX 42 sqq. ab Acheloo pugna ipsius cum Hercule hunc in modum describitur:

digredimur paulum rursus ad bella coimus,
inque gradu stetimus, certi non cedere; eratque
cum pede pes iunctus, totoque ego pectore pronus
et digitos digitis et frontem fronte premebam.
non aliter vidi fortes concurrere tauros,
cum pretium pugnae toto nitidissima saltu
expetitur coniunx: spectant armenta paventque
nescia, quem maneat tanti victoria regni.

eadem descriptio, qua tauri pugnantes exhibentur, per collationem sese offert Am. II 12, 25 sq., quem locum, ne quis fortasse

opinetur ibi quoque tauros pugnantes imaginis munere fungi, hic aliquanto copiosius tractare licet. hac enim in elegia commemorata exultat poeta, quod amica sua potitus sit, et dicit v. 17 causam belli sui neutiquam novam fuisse nam:

nisi rapta fuisset
Tyndaris, Europae pax Asiaeque foret.
femina silvestris Lapithas populumque bimembrem
turpiter adposito vertit in arma mero.
femina Troianos iterum nova bella movere
impulit in regno, iuste Latine, tuo.
femina Romanis etiam nunc Urbe recenti
inmisit soceros armaque saeva dedit.
vidi ego pro nivea pugnantes coniuge tauros:
spectatrix animos ipsa iuvenca dabat.
me quoque, qui multos, sed me sine caede, Cupido
iussit militiae signa movere suae.

qui locus eandem sortem expertus est, quae mirum in modum multis aliis descriptionibus eiusdem generis accidit, cum quidam Ovidium hanc totam, quam adscripsi, descriptionem ideo protulisse existimarent, ut suam militiam illustraret. qua re etiam eam partem, quae ad tauros pugnantes pertinet, hoc loco imaginis munere fungi opinabantur. sed quicumque aliquatenus in sensum totius descriptionis inquisiverit, profecto inveniet Ovidium inde a v. 17—26 exempla protulisse, quibus ostenderet causam belli sui neutiquam novam atque insolitam esse. et his exemplis allatis iam adiungit se prospera fortuna usum sine caede amica sua potitum esse. itaque non pugnae illustrandae causa Ovidius tauros pugnantes et reliqua quae antecedunt exempla protulit, sed ut discrimen ostenderet, quod inter suam ipsam et reliquorum fortunam intercederet. et licet illud sumamus extremum exemplum de tauris pugnantibus, quippe quod eadem ratione quam imago supra proposita verbo 'vidi' inducatur, secernendum esse ab eis, quae antecedunt, exemplis atque coniungendum cum proximis versibus, qui ad ipsius poetae fortunam pertinent, tamen concedas necesse est Ovidium taurorum certantium descriptione neutiquam suam pugnandi rationem illustrare voluisse, sed per collationem tantum ostendisse sibi quoque per militiam puellam expugnandam fuisse. ergo omnino de imagine, quae illustrandi munere fungitur, nullo pacto cogitari potest.

Mutuatus autem est Ovidius imaginem Met. IX 46 sqq. e Vergilio, qui Aen. XII 715 sqq. singulare certamen, ad quod Aeneas et Turnus descenderant, hunc in modum illustravit:

ac velut ingenti Sila summove Taburno
cum duo conversis inimica in proelia tauri
frontibus incurrunt (pavidi cessere magistri,
stat pecus omne metu mutum mussantque iuvencae,
quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur);
illi inter sese multa vi volnera miscent
cornuaque obnixi infigunt et sanguine largo
colla armosque lavant; gemitu nemus omne remugit:
non aliter Tros Aeneas et Daunius heros
concurrunt clipeis; ingens fragor aethera complet.

quam imaginem si contenderis cum Ovidii similitudine, certe concedes Nasonem, quamquam magis brevitati consuluit, tamen multo felicius in ea re versatum esse quam Vergilium. nam profecto Acheloi pugna cum Hercule, qui ‘digitos digitis et frontem fronte premebant’, multo magis respondet certamini, quod inter duos exarsit tauros cornibus se invicem petentes, quam Aeneae et Turni dimicatio, qui clipeis armati concurrunt. sed Ovidius non solum imaginem Vergilianam ipsam in usum suum convertit, sed etiam in singulis rebus auctoris sui vestigia pressit. nam Vergilii verba ‘inimica in proelia tauri incurrunt’ reddidit Naso verbis ‘fortes concurrere tauros’, et illud Maronis ‘conversis frontibus’, quod de tauris dictum est, Ovidius transtulit ad pugnatores et accuratius reddidit verbis ‘frontem fronte premebam’. denique Vergiliana ‘stat pecus omne metu mutum mussantque iuvencae, quis nemori imperitet, quem tota armenta secuntur’ Naso in brevius contraxit: ‘spectant armenta paventque nescia quem maneat tanti victoria regni’. haec autem taurorum pugnantium descriptio Vergiliana Ovidii menti eo magis infixa fuerit necesse est, quod ea copiosius tractatur Georg. III 220 sqq., quo ex loco hos ascribam versus:

illi alternantes multa vi proelia miscent
volneribus crebris, lavit ater corpora sanguis,
versaque in obnixos urgentur cornua vasto
cum gemitu, reboant silvaeque et longus Olympus.

Vergilius autem in sua imagine conscribenda se ad Apollonii locum Arg. II 88 sq. adplicavit:

ἂψ δ' αὖθις συνόρουσαν ἐναντίοι, ἠΰτε ταύρω
φορβάδος ἀμφὶ βοὸς κεκοτηότε δηριάασθον,

ubi Castor et Talaus dimicantes tauris ob vaccam pugnantibus conferuntur.

Altera imago, qua Ovidius ad Vergilium sese composuit, e tauro furibundo petita est, qui cornu fulmineo incurrit in vestes purpureas, quibus irritatur, ac tum sentit impetum suum deceptum esse. in Met. enim l. XII 102 sqq. ab Ovidio furor Achillis, qui frustra in Cycnum tela eminus iecerat, hac depingitur imagine:

haud secus exarsit, quam circo taurus aperto,
cum sua terribili petit irritamina cornu,
poeniceas vestes, elusaque vulnera sentit.

ad quam imaginem conscribendam Ovidius excitatus esse videtur a Vergilio, qui Aen. XII 101 sqq. iram, qua incensus est Turnus ante certamen singulare cum Aenea, tauri furori contulit:

his agitur furiis; totoque ardentis ab ore
scintillae absiliunt, oculis micat acribus ignis:
mugitus veluti cum prima in proelia taurus
terrificos ciet atque irasci in cornua temptat,
arboris obnixus trunco, ventosque lacessit
ictibus aut sparsa ad pugnam proludit harena.

quamquam novum est in Ovidii imagine id, quod taurum in circo pugnantem nobis ante oculos proposuit. quam rem ipsi, cum in circo spectator adesset, saepe sine dubio videre contigit.

Quod si denique Ovidius Polyphemi furorem, qui cantilenam suam verbis illis tristissimis 'nec tu Galatea moveris' finivit, hac depinxit imagine (Met. XIII 870 sqq.):

talia nequiquam questus, nam cuncta videbam,
surgit et, ut taurus vacca furibundus adempta,
stare nequit silvaque et notis saltibus errat,

memor fortasse fuit eorum, quae de tauro victo, cui vacca adempta est, refert Vergilius Georg. III 224 sqq., quamquam inter hunc et illum locum aperta non intercedit similitudo.

Iam eas perscrutemur imagines Ovidianas, quibus equi feroces dominum in abrupta auferentes inducuntur. quas priusquam singillatim proferamus, in universum liceat praefari, hanc descriptionem maxime adamavisse Ovidium eamque non solum per similitudinem, sed etiam saepissime per collationem induxisse. cuius generis imago sese offert Am. II 9, 29 sqq., ubi poeta

cupiditatem suam, qua semper in amorem inducitur, his exornavit similitudinibus:

ut rapit in praeceps dominum spumantia frustra
frena retentantem durior oris equus:
ut subitus prope iam prensa tellure carinam
tangentem portus ventus in alta rapit:
sic me saepe refert incerta cupidinis aura.

porro in libris in exilio conscriptis tres reperies similitudines huc pertinentes, Trist. I 4, 13 sqq., ubi poeta navigationem suam periculosam in exilium hac ratione describit:

utque parum validus non proficientia rector
cervicis rigidae frena remittit equo,
sic non quo voluit, sed quo rapit impetus undae,
aurigam video vela dedisse rati,

Trist. V 4, 15 sq., quo loco Ovidius de se ipso hanc similitudinem adhibuit:

fert tamen, ut debet, casus patienter amaros,
more nec indomiti frena recusat equi,

denique ex P. III 9, qua in epistula ad Brutum scripta Ovidius inde a v. 23 laborem carminum corrigendorum hunc in modum illustravit:

corrigere at res est tanto magis ardua, quanto
magnus Aristarcho maior Homerus erat.
haec animum lento curarum frigore laedit,
utque avidi cursus frena retentat equi.

quibus in similitudinibus conscribendis Ovidii menti obversari potuit Vergilii imago Georg. I 512 sqq., ubi in belli civilis descriptione Mars toto orbe saevisse dicitur:

ut cum carceribus sese effudere quadrigae,
addunt in spatia, et frustra retinacula tendens
fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

cui loco adde Georg. III 250 sqq.:

nonne vides, ut tota tremor pertemptet equorum
corpora, si tantum notas odor attulit auras?
ac neque eos iam frena virum neque verbera saeva,
non scopuli rupesque cavae atque obiecta retardant
flumina correptosque unda torquentia montis.

qua in re animadvertas velim hanc descriptionem in ea parte l. III Georg. extare, quam Ovidium penitus menti infixam habuisse ex aliis imitationibus supra propositis cognovimus. neque ab re

alienum esse puto commemorare Vergilium versus 250 initium 'nonne vides' petiisse ex Lucretio, qui cum saepius hac locutione utatur, II 263 sqq. hanc praebet descriptionem de equis, qui e carcere effugere student:

nonne vides etiam patefactis tempore puncto
carceribus non posse tamen prorumpere equorum
vim cupidam tam de subito quam mens avet ipsa?

quod si Am. II 9, 29 sqq. imagini ab equo petita altera, quae deprompta est a carina, adicitur, et Trist. I 4, 13 sqq. effigie ad equitem infirmum pertinente navis rector illustratur, conferre possumus Verg. Aen. V 144 sqq., ubi celeritas navium ad certamen navale electarum depingitur velocitate, qua currus in certamine per campum volant:

non tam praecipites biiugo certamine campum
corripuere ruuntque effusi carcere currus,
nec sic immissis aurigae undantia lora
concussere iugis pronique in verbera pendent.

Transeo ad imaginem e cane venatorio petitam, quam fortasse iam in prima huius dissertationis parte tractare debueram, propterea quod fundum huius imaginis Homerus iecisse putandus est. sed cum Ovidius in hac imagine ad Vergilium solum sese composuisse mihi videatur, iustam puto habebit excusationem, si eam in hanc dissertationis partem distulimus. iam Zingerle enim II 11 eam Ovidii imaginem, qua Met. I 533 sqq. Apollo Daphnem insequens hunc in modum illustratur:

ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo
vidit, et hic praedam pedibus petit, ille salutem:
alter inhaesuro similis iam iamque tenere
sperat et extento stringit vestigia rostro,
alter in ambiguo est, an sit conprensus, et ipsis
morsibus eripitur tangentiaque ora relinquit:
sic deus et virgo est hic spe celer, illa timore,

scite contendit cum Vergilii similitudine Aen. XII 749 sqq., ubi Turnum, qui ense fracto timore affectus atque salutem petens huc illuc refugit, sed undique et a Troianis et palude magna et moenibus altis cohercetur, Aeneas prosequitur:

inclusum veluti siquando flumine nanctus
cervom aut puniceae saeptum formidine pinnae
venator cursu canis et latratibus instat;
ille autem, insidiis et ripa territus alta,

mille fugit refugitque vias; at vividus Umber
haeret hians, iam iamque tenet similisque tenenti
increpuit malis morsuque elusus inani est.

quos locos si inter se comparaveris, statim intelleges Nasonem Vergilii verba 'haeret hians iam iamque tenet similisque tenenti' in usum suum convertisse v. 535 'alter inhaesuro similis iam iamque tenere sperat', deinde hoc Maronis 'morsuque elusus inani est' accuratius interpretatum esse verbis 'extento stringit vestigia rostro'.

Sed alium in promptu habeo locum Ovidianum, quem, cum multo propius accedat ad hoc Vergilii exemplum, Zingerleum non attulisse miror. in illa enim venationis descriptione, quae extat Met. VII 785 sq., Ovidius canis velocissimi Laelapis impetum, qui vulpem insequitur, hunc in modum descripsit:

imminet hic sequiturque parem, similisque tenenti
non tenet et vanos exercet in aëra morsus.

qui locus ad amussim fere respondet Vergilii versibus 754 sq., quandoquidem utrique loco communia sunt verba 'similisque tenenti' ultimum versus locum obtinentia, hoc Ovidianum autem 'et vanos exercet in aëra morsus' prorsus congruit cum illo Vergiliano 'morsuque elusus inani est'. quae cum ita sint, ad irritum cadit, quod aliquis suspicari possit Nasonem Apollonium ante oculos habuisse, cuius ad similitudinem Arg. II 278 sqq.:

ὡς δ' ὅτ' ἐνὶ κνημοῖσι κύνες δεδαημένοι ἄγρης,
ἢ αἶγας κεραοὺς ἠὲ πρόκας ἰχνεύοντες,
θείωσι, τυτθὸν δὲ τιταινόμενοι μετόπισθεν
ἄκρης ἐν γενύεσσι μάτην ἀράβησαν ὀδόντας·
ὣς Ζήτης Κάλαΐς τε μάλα σχεδὸν ἀΐσσοντες
τάων ἀκροτάτῃσιν ἐπέχραον ἤλιθα χερσίν,

Vergilius suam conformavit imaginem, vel fortasse Ennium, apud quem fr. 334 V. simillima leguntur:

sicut si quando vinclis venatica velox
apta solet canis forte feram sei nare sagaci
sensit, voce sua nictit ululatque ibi acute,

vel denique Homerum, qui ea imagine, qua Il. χ 189 sqq. Hector Achillem fugiens depingitur:

ὡς δ' ὅτε νεβρὸν ὄρεσφι κύων ἐλάφοιο δίηται,
ὄρσας ἐξ εὐνῆς, διά τ' ἄγκεα καὶ διὰ βήσσας·

τὸν δ' εἴπερ τε λάθῃσι καταπτήξας ὑπὸ θάμνῳ,
ἀλλά τ' ἀνιχνεύων θέει ἔμπεδον, ὄφρα κεν εὕρῃ·
ὣς Ἕκτωρ οὐ λῆθε ποδώκεα Πηλείωνα,

fundum imaginum illarum omnium iecisse putandus est.

Quod denique ad canis imaginem Trist. V 9, 27 sq. attinet, quam Zingerle l. c. cum his similitudinibus contendit, ea multo aptiorem sedem nacta est in altera huius dissertationis parte ibi, ubi de imaginibus sermo fuit canem frustra copula retentum spectantibus.

Reliquum est, ut unam imaginem ex animalibus petitam hic explicemus, dico Fast. III 555 sq., quo loco Tyrii Didone mortua dispersi hac similitudine illustrantur:

diffugiunt Tyrii, quo quemque agit error, ut olim
amisso dubiae rege vagantur apes.

quae imago quamquam ab Ovidio ipso potuit confingi (res enim est notissima), tamen similitudo quaedam intercedit inter hunc locum et Verg. Georg. IV 210 sqq. ʻamisso (rege) rupere fidemʼ. cum porro in Aen. I 430 sqq. Tyriorum industria, quam praestant in condenda Carthagine, comparetur cum apium sedulitate, quas nova aestate per florea rura sub sole labor exercet, facile credas Nasonem utriusque Vergilii loci recordatum eadem apium imagine res Tyrias Didone mortua illustrasse.

Leviora imitationis Vergilianae vestigia deprehenduntur in eis imaginibus, quae e variarum plantarum natura depromptae sunt. huc referenda est similitudo Met. IV 373 sqq., ubi Ovidius Hermaphroditi et Salmacidis corpora in unum coalescentia imagine depinxit e ramis petita, qui cortice conexo iunguntur pariterque adolescunt:

vota suos habuere deos: nam mixta duorum
corpora iunguntur, faciesque inducitur illis
una, velut siquis conducat cortice ramos,
crescendo iungi pariterque adolescere cernit.

quam imaginem ex vitae cotidianae usu depromere potuit Ovidius aut, cum hoc loco de surculis arboribus insertis cogitavisse videatur, Vergilium respexit, qui Georg. II 32 sq. haec habet:

et saepe alterius ramos impune videmus
vertere in alterius . . . .

cuius imitationis haud spernendum indicium in eo inesse puto, quod Vergilii verbum ʻvidemusʼ optime respondet Ovidii verbo

'cernit', itaque uterque poeta eam descriptionis formam adhibuit, qua observatio exponitur.

Sed iam ad duo similitudinum genera Vergilio et Ovidio communia transeamus, quae numero illustrando inserviunt. singularis enim est Vergilii imago Georg. IV 80 sq., qua glandines de ilice concussa decidentes pulchre contulit cum apium ingenti numero, quae pugna exorta occisae ex aethere in terram cadunt:

praecipitesque cadunt; non densior aëre grando,
non de concussa tantum pluit ilice glandis.

ex hoc loco Vergiliano Ovidius mihi petiisse videtur eas imagines, quae e variis arborum fructibus desumptae multitudinis densitatisque notionem illustrant. sic Naso in pestilentiae descriptione (Met. VII 584 sqq.), quae insulam Aeginam vastavit, hominum mortuorum et humi iacentium multitudinem hac ratione illustravit:

quo se cumque acies oculorum flexerat, illic
vulgus erat stratum, veluti cum putria motis
poma cadunt ramis agitataque ilice glandes.

praeterea huc pertinet ea imago, qua Ovidius A. A. III 149 numerum variorum modorum, quibus capilli componi solent, per collationem significavit:

sed neque ramosa numerabis in ilice glandes.

denique compluribus locis Ovidius varios arborum fructus ad multitudinem numerumque illustranda protulit, quos breviter indicabo, A. A. II 518; Trist. IV 1, 58; ex P. IV 15, 7 sq.

Alterum genus imaginum Ovidianarum, quibus multitudinis notio adumbratur, petitum est ex aristis et segetibus. quas similitudines simul cum eis Ovidii descriptionibus tractare iuvat, quae ad fluctuum multitudinem pertinentes eidem rei illustrandae inserviunt, sed imaginis forma non sunt indutae. locus Vergilianus, ex quo tamquam fonte Ovidium has imagines hausisse suspicor, extat Aen. VII 718 sqq., ubi Maro multitudinem copiarum, quae contra Aeneam congregantur, his indicavit similitudinibus:

quam multi Libyco volvontur marmore fluctus,
saevos ubi Orion hibernis conditur undis;
vel cum sole novo densae torrentur aristae
aut Hermi campo aut Lyciae flaventibus arvis.

ex quibus illam de aristis permultis locis adhibuit Ovidius, quos enumerare malo quam examinare, Met. XI 614; Trist. IV 1, 57;

ex P. II 7, 25; IV 15, 9. qua in re poeta etiam Catullum spectare potuit, apud quem c. XLVIII 5 sq. haec leguntur:

non si densior aridis aristis
sit nostrae seges osculationis.

verum tamen Ovidium Vergilii auctoritatem secutum esse ideo mihi veri similius esse videtur, quod ille etiam Georg. I vv. 102 sq., ubi Mysiae et Gargarorum messes his versibus praedicantur:

. . . . *nullo tantum se Mysia cultu*
iactat et ipsa suas mirentur Gargara messes,

aperte imitando expressit ea imagine numerum illustrante, quae extat A. A. I 57 'Gargara quot segetes . . . .' accedit quod etiam alteram Vergilii imaginem e fluctuum multitudine depromptam Ovidius bis in Trist. l. V imitatus est, quibus locis poeta malorum turbam, qua in exilio urgebatur, per hyperbolam significavit, 2, v. 27 sq.:

tot premor adversis; quae si comprendere coner,
Icariae numerum dicere coner aquae,

et 6, v. 43 sq.:

his qui contentus non est, in litus arenas,
in segetem spicas, in mare fundat aquas.

quibus in descriptionibus Ovidium Vergilii exemplo ductum esse suspicor, quia apud ceteros poetas, quorum hac in dissertatione mentio fit, talium imaginum exempla non reperiuntur, nisi forte Apollonium nominare vis, qui Arg. IV 214 sqq. maris imaginibus, quae Il. δ 422 sqq. et ξ 394 sq. leguntur, sat incommode variatis innumeros Colchos armatos in contionem convenisse narrat:

. . . . . . ὅσσα τε πόντου
κύματα χειμερίοιο κορύσσεται ἐξ ἀνέμοιο,
ἢ ὅσα φύλλα χαμᾶζε περικλαδέος πέσεν ὕλης
φυλλοχόῳ ἐνὶ μηνί — τίς ἂν τάδε τεκμήραιτο;

sed quis quaeso persuadeat sibi Ovidium in maris descriptionibus, quibus multitudinis notio designatur, potius Apollonium quam Vergilium secutum esse?

His similitudinibus examinatis iam ad imaginem quandam progrediar, quae et apud Vergilium et apud Ovidium legitur, quamquam eam hunc ex illo deprompsisse argumentis non potest comprobari. locus Ovidianus extat Met. VIII 162 sqq., ubi labyrinthus

ille, quem Daedalus construxerat, imagine adumbratur a Maeandro flumine petita, qua in re Naso tanto cum ingenio versatus est, ut nulla fere parte huius similitudinis neglecta plena et perfecta descriptio evaderet. narrat enim inde a v. 159 sqq., quem ad modum Daedalus in opere Minois iussu extructo oculos in errorem induxerit ancipiti flexu viarum diversarum:

non secus ac liquidus Phrygiis Maeandros in arvis
ludit, et ambiguo lapsu refluitque fluitque,
occurrensque sibi venturas adspicit undas,
et nunc ad fontes, nunc ad mare versus apertum
incertas exercet aquas: ita Daedalus implet
innumeras errore vias. vixque ipse reverti
ad limen potuit; tanta est fallacia tecti.

haec igitur imago a Maeandro profecta apud Vergilium legitur Aen. V 250 sq.:

. . . chlamydem auratam, quam plurima circum
purpura maeandro duplici Meliboea cucurrit;

quo cum loco apte quoque contenditur altera Vergilii imago (Georg. I 244 sqq.), ex qua status obliquus anguis sideris, inter maiorem et minorem ursam adparentis, flexu obliquo fluminis indicatur. sed imago de Maeandro flumine iam a Cicerone adhibita est in Pis. 22, 53; cf. Col. VIII 17, 11; Gell. XVI 8, ~~18.~~ 17

Huic imagini complures adnectere placet similitudines Ovidianas, quae, licet res non plane certa sit, tamen iure quodam ad Vergilii exemplum revocari possunt. huc igitur pertinet ea imago, quae naviculam adverso flumine propulsam ac mox undis vehementer reiectam spectat. cuius imaginis exemplum habes apud Vergilium Georg. I 199 sqq.:

. . . . sic omnia fatis
in peius ruere ac retro sublapsa referri,
non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
remigiis subigit, si bracchia forte remisit,
atque illum praeceps prono rapit alveus amni.

eadem fere imagine usus est Ovidius Am. II 4, 7 sq., ut amoris sui vim illustraret:

nam desunt vires ad me mihi iusque regendum.
auferor ut rapida concita puppis aqua.

itemque huc revocari potest ea similitudo, quam exul in Maximi laudem conscripsit ex P. II 3, 21 sq.:

quo magis admiror, non, ut torrentibus undis,
communis vitii te quoque labe trahi.

quas similitudines propterea hoc loco proposui, quia apud ceteros poetas et Graecos et Latinos huius rei nullum inveni exemplum, quamquam latissime patet in tota veterum poesi imaginum usus a navibus deromptarum.

Aliquanto certior res esse videtur in alia imagine, quae extat Met. II 163 sqq. ibi enim poeta describit, quem ad modum currus solis, quem Phaethon rexit, pondere solito carens saltaverit in itinere; quam rem Naso hac illustravit egregia imagine:

utque labant curvae iusto sine pondere naves
perque mare instabiles nimia levitate feruntur,
sic onere adsueto vacuus dat in aëra saltus
succutiturque alte similisque est currus inani.

qua in descriptione respexisse videtur Vergilii Georg. IV 194 sqq., ubi de apibus haec leguntur:

excursusque brevis temptant, et saepe lapillos,
ut cumbae instabiles fluctu iactante saburram,
tollunt, his sese per inania nubila librant.

variavit autem, ut solet, rem in imagine conscribenda. nam cum apud Vergilium cumbae exhibeantur fluctu iactante suburram excipientes, Ovidius naves instabiles induxit, quae nimia levitate per mare feruntur.

Huic disputationis loco similitudines quasdam adiungam, quarum usus quidem apud veteres pervulgatus fuit, quas tamen in hac dissertationis parte commemoro propterea, quod eaedem omnes in Vergilii carminibus inveniuntur. cuius generis est ea imago, qua Ovidius vellera, quae ab Arachne pectebantur, comparavit cum nebulis Met. VI 21:

vellera mollibat nebulas aequantia tractu.

certe translationem a vellere ad nebulam et vice versa a nebula ad vellus etiam apud veteres sat pervulgatam fuisse iam fabula illa de aureo vellere edocemur. et Apollonius Arg. IV 125 sq. vellus aureum nubi simile fuisse narrat, quae solis orientis radiis flammeis rubet. sed magis accedere videntur ad Ovidii imaginem, quae apud Vergilium Georg. I 397 leguntur:

tenuia nec lanae per caelum vellera ferri.

Neque quicquam certius statui potest de Ovidii imagine e glaciei fragilitate deprompta, qua A. A. I 374 iram hunc in modum illustravit:

ut fragilis glacies, interit ira mora.

cuius imaginis exemplum apud neminem inveni nisi apud Vergilium Aen. XII 740 sq., quo loco Turni gladius:

glacies ceu futtilis ictu
dissiluit; fulva resplendent fragmina harena.

Aliquanto apertiora imitationis Vergilianae vestigia deprehenduntur in ea Ovidii imagine, qua ex P. I 1, 71 sq. animum suum, qui in exilio assiduis sollicitudinum morsibus conficiebatur, hac ratione illustravit:

roditur ut scabra positum rubigine ferrum,
. . . .
sic mea perpetuos curarum pectora morsus,
fine quibus nullo conficiantur, habent.

quam imaginem iam supra (p. 69 sqq.) illustravi Lucretii loco I 312 sqq. allato, quamquam inter hunc et illum locum id discrimen intercedit, quod Lucretius de ferro usu trito, Ovidius de ferro rubigine arroso loquitur. quam ob rem ad Ovidii imaginem propius accedunt ea, quae Verg. Georg. II 220 habet:

nec scabie et salsa laedit robigine ferrum.

eadem imago coniuncta cum altera de guttis aquae lapidem cavantibus legitur apud Propertium II 25, 15 sq. B.:

sed tamen obsistam: teritur rubigine mucro
ferreus et parvo saepe liquore silex.

sed Ovidius sine dubio se ad Vergilium adplicavit, id quod iam ex eo, quod apud utrumque eadem verba in versus clausula extant, intellegitur.[34])

Imaginum ad rem militarem pertinentium duo genera in hac dissertationis parte discernamus necesse est, quorum priore saxis tormentis excussis vehementia, qua quid fit, adumbratur. ita apud Ovidium Met. IX 217 sq. Hercules Licham, qui Alcidi fatalem illam vestem attulerat:

. . . . *terque quaterque rotatum*
mittit in Euboicas tormento fortius undas.

---

[34]) Cf. quoque Catull. LXVIII 151:
ne vostrum scabra tangat rubigine nomen.

eadem imago sese offert Met. XIV 181 sqq., ubi Polyphemus saxa in fluctus iecisse narratur, tamquam tormenti viribus impulsa:

. . . . vidi, cum monte revulso
inmanem scopulum medias permisit in undas;
vidi iterum veluti tormenti viribus acta
vasta Giganteo iaculantem saxa lacerto.

quarum imaginum fons est Vergilius, qui Aen. XI 616 sq. narrat, quem ad modum pugna inter Latinos et Etruscos exorta Aconteus et Tyrrhenus hastis tanta vi alter in alterum incurrant, ut ille:

fulminis in morem aut tormento ponderis acti
praecipitet longe et vitam dispergat in auras.

quae imago eo firmius Ovidii menti inhaesit, quod ea repetitur Aen. XII 921 sqq., quo loco teli fatalis vehementia ab Aenea in Turnum emissi hunc in modum illustratur:

. . . . murali concita numquam
tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
dissultant crepitus. . . . . . .

apud ceteros poetas huius imaginis ne unum quidem exemplum invenitur.

Sequitur, ut de altero imaginum genere dicamus, quod ad sagittas emissas pertinens vehementiae velocitatisque notioni illustrandae inservit. qua in re quo fonte usus sit Ovidius, accuratius examinare superfluum esse existimo, quia tales imagines apud veteres sat pervulgatas fuisse constat. ut autem nihilo minus Ovidii similitudines hoc loco ponerem, eo adductus sum, quod imaginum illius generis, si Vergilium exceperis, duo tantum e Graecis poetis proferre possum exempla fragm. trag. graec. adesp. 458 N. θᾶσσον οἰστοῦ, et Apollon. Arg. II 602, ubi de nave Argonautarum haec leguntur:

ἣ δ' ἰκέλη πτερόεντι μετήορος ἔσσυτ' ὀιστῷ.

nam etiamsi apud alios quoque poetas imagines e telis petitae sese offerunt, tamen eis non celeritas illustratur, veluti Homeri similitudines eiusdem generis mensurae indicandae inserviunt. Apollonii autem loco modo proposito persimilis est Vergilianus Aen. X 247 sq., quo Aeneae navis summa celeritate per mare volans sic describitur:

. . . . . . fugit illa per undas
ocior et iaculo et ventos aequante sagitta.

praeter hunc locum bis eadem imago in Vergilii Aeneide nobis occurrit, V 242 sq., ubi in certamine navali ab Aenea in honorem Anchisae patris instituto, Cleanthi navis:

. . . noto citius volucrique sagitta
ad terram fugit et portu se condidit alto,

et XII 855 sqq., quo loco Dirae volatus in terras, quae a Iove Iuturnam a bello avocare iussa est, hac ratione illustratur:

illa volat celerique ad terram turbine fertur,
non secus ac nervo per nubem inpulsa sagitta,
armatam saevi Parthus quam felle veneni,
Parthus sive Cydon, telum inmedicabile, torsit,
stridens et celeris incognita transilit umbras:
talis se sata Nocte tulit terrasque petivit.

quorum locorum memorem sese praestitit Ovidius, cum Met. VII 776 sqq. ad celeritatem Laelapis, canis velocissimi, significandam hac similitudine usus est:

. . . . non ocior illo
hasta nec excutae contorto verbere glandes,
nec Gortyniaco calamus levis exit ab arcu.

vides enim illud 'ocior hasta' ita proxime accedere ad 'ocior iaculo', ut 'Gortyniaco' ad 'Cydon'. praeter hunc, quem modo tractavimus, locum Ovidianum eadem imago de sagitta reperitur Met. X 588 sq., ubi Atalantae celeritas his verbis exornatur:

quae quamquam Scythica non setius ire sagitta
Aonio visa est iuveni . . . .

qua in imagine 'Scythica sagitta' commemoratur eodem modo, quo apud Vergilium 'Parthus' in similitudine inducitur.

Quodsi saxum durum Ovidio aptam praebuit imaginem ad animi rigorem vel torporem illustrandum, eius usus permulta extant apud tragicos Graecos exempla, quae diligenter congessit Rappold III p. 36 sqq. huc referenda est ea imago, quam Aeschylus chorum in Prom. v. 242 pronuntiantem facit:

σιδηρόφρων τε κἀκ πέτρας εἰργασμένος.

itemque πέτραν cum σιδήρῳ coniunctam habes in Eurip. Med. v. 1279 sqq.:

τάλαιν', ὡς ἄρ' ἦσθα πέτρος ἢ σίδα —
ρος, ἅτις τέκνων ὃν ἔτεκες
ἄροτον αὐτόχειρι μοίρᾳ κτενεῖς.

praeterea permultis locis et πέτρα et σίδηρος singillatim in imaginibus a tragicis Graecis inducuntur, quos locos, cum Rappold de eis accurate disputaverit, afferre supersedeo.

Graecorum exempla manifesto spectavit Ennius trag. 66 sq. R., ubi de Hecuba hanc usurpavit imaginem:

. . . sed quasi ferrum aut lapis
durat, rarenter gemitum conatur trahens.[35])

Vergilius eandem imaginem exhibet Aen. VI 469 sqq., ut inplacabilem Didonis mentem ostendat, quae verbis Aeneae non movetur:

illa solo fixos oculos aversa tenebat,
nec magis incepto voltum sermone movetur,
quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.

hanc ad Maronis imaginem aperte sese adplicavit Ovidius, cum Met. XIII 539 sqq. Hecubae dolorem hac descripsit ratione:

et pariter voces lacrimasque introrsus obortas
devorat ipse dolor. duroque simillima saxo
torpet, et adversa figit modo lumina terra.

cuius imitationis sat apertum indicium in eo positum est, quod Vergilii verba 'illa solo fixos oculos aversa tenebat' plane respondent Ovidianis 'et adversa figit modo lumina terra', quamquam ut hac imagine uteretur Ovidius, excitari potuit Ennii versibus, de quibus modo exposuimus.

Sed ab Ovidio etiam ferrum cum saxo coniunctum in imagine inducitur, quae extat in fabula illa de Anaxarete a Venere ob nimiam crudelitatem animique duritiem in saxum mutata. in Met. enim l. XIV vv. 712 sqq. virginis mens, quae Iphis precibus moveri non potest, hunc in modum illustratur:

durior et ferro, quod Noricus excoquit ignis,
et saxo, quod adhuc vivum radice tenetur,
spernit et irridet.

quas imagines ad Graecorum exempla supra prolata redire opinetur fortasse quispiam, propterea quod utrubique saxum cum ferro coniunctum in imagine inducitur. verum tamen rem aliter sese habere docet Propertii locus I 16, 29 sq. B.:

sit licet et saxo patientior illa Sicano,
sit licet et ferro durior et chalybe.

---

[35]) Cf. Ribbeck: Die röm. Tragödie p. 138.

nam et hoc loco et apud Ovidium imagines ad saxum et ferrum pertinentes de illis adhibentur, qui preces et suspiria amantium non audiunt. denique ad eundem fontem referantur necesse est similitudines, quibus epist. II 137 Phyllis Demophoontem increpat:

duritia ferrum ut superes, adamantaque, teque.

Restant duae imagines Ovidianae, quarum fontem in locis quibusdam Vergilianis inesse suspicor. in Met. enim l. III vv. 43 sqq. Ovidius draconem, quem Cadmus adgreditur, hac illustrat similitudine:

ac media plus parte leves erectus in auras
despicit omne nemus, tantoque est corpore, quanto,
si totum spectes, geminas qui separat arctos.

quam ad imaginem conscribendam ductus esse videtur Vergilii exemplo, qui Aen. X 763 sqq. Mezentium furentem hastamque quatientem tantum fuisse narrat:

. . . . . . *quam magnus Orion,*
cum pedes incedit medii per maxima Nerei
stagna viam scindens, umero supereminet undas
aut summis referens annosam montibus ornum
ingrediturque solo et caput inter nubila condit.

atque imitatio in primis eo conspicua est, quod utrubique in magnitudine et altitudine cardo totius comparationis vertitur, quam ob rem uterque eisdem voculis 'tantus . . . quantus (quam)' usus est. quod autem Naso pro Orione serpentem inter duas arctos positam substituit, in hac re respicere potuit Verg. Georg. I 244 sqq.:

maxumus hic flexu sinuoso elabitur anguis
circum perque duas in morem fluminis arctos,
arctos Oceani metuentes aequore tingui.

nam hoc quoque loco status obliquus anguis sideris describitur, quod inter maiorem et minorem ursam adparet ita, ut Vergilii verba 'circum perque duas . . . . arctos' optime congruant cum verbis Ovidianis 'geminos qui separat arctos'.

Sed iam absolvamus hanc imaginum syllogen extrema similitudine, qua epist. XV 365 sq. Paris de Hectore utitur:

omnia si dederis, num quid dabis Hectora fratrem?
unus is innumeri militis instar habet.

quam imaginem Ovidius debet Vergilio, quippe qui Aen. VII 706 sq. Clausum Sabinum Turno multis copiis auxilio venientem his celebraverit versibus:

ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
agmen agens Clausus magnique ipse agminis instar.

Quae postquam disputata sunt, iam maxima pars eius quaestionis, quam tertio loco tractandam nobis proposuimus, ad finem perducta est; nam perpaucae tantum extant imagines Ovidianae, quibus Naso ceterorum aetatis suae poetarum spectavit auctoritatem. quae quales sint, iam videamus.

Ac primum quidem temporis ratione observata eas perscrutemur imagines, quibus Ovidius Horatii vestigia pressisse videtur. qua in re initium faciamus ab imagine, de qua, num eam hoc loco tractarem, aliquamdiu haesitabam. constat enim poetas Graecos saepissime metaphoris a iugo depromptis usos esse ad matrimonii vim illustrandam. cuius translationis frequentissima extant exempla apud tragicos Graecos, quibus tamen percensendis hic supersedeo (cf. Rappold p. 16). atque hanc translationem etiam Ovidium in carminibus suis, in primis in eis, quae ad res amatorias pertinent, saepissime usurpasse nemo nescit. quid quod a Nasone tantum numerum harum translationum eumque tanta varietate et ubertate adhibitum videmus, quantus in alio poeta non reperitur. sed nequaquam omnibus locis translationes illae similitudinum munere funguntur; immo plerumque tauri et iuvenci iugum respuentes in descriptiones inducuntur, quae, cum non tam in rebus illustrandis versentur, quam rerum naturae cum hominum vita collatione quadam contineantur, minime inter similitudines referendae sunt. nimirum non defuerunt, qui discrimen inter similitudines et collationes non curantes eius modi descriptiones imagines esse statuerent. quorum de sententiis quid nobis iudicandum sit, iam supra exposui. tales igitur descriptiones non est quod hoc loco examinemus. itemque dissimilitudinem, qua Ovidius ex P. III 7, 15 sq. ad mala, quibus premebatur, significanda usus est, verbo tantum commemorare sufficiet. quibus rebus ita comparatis cum tam multis locis Ovidius eam adhibuerit descriptionem, quae ad taurorum iuga pertinet, et ab altera parte constet iam Graecos poetas ex eadem re plurimas deprompsisse translationes, quibus matrimonii naturam illustrarent, haud facile constituere licet, quo ex fonte fluxerit imago illa, quam Naso epist. IX v. 29 sq. Deianirae Herculi scribenti tribuit:

quam male inaequales veniunt ad aratra iuvenci,
tam premitur magno coniuge nupta minor.

sed singulare id est in hac imagine, quod de inaequalibus iuvencis agitur. cuius rei a nemine mentionem factam esse repperi nisi ab Horatio C. I 33, 10 sqq.:

sic visum Veneri, cui placet inpares
formas atque animos sub iuga ahenea
saevo mittere cum ioco.

hoc igitur exemplum respicere potuit Ovidius. ac nescio an huic coniecturae aliqua probabilitas accedat altero Horatii loco collato C. II 5, 1 sqq.:

nondum subacta ferre iugum valet
cervice, nondum munia conparis
aequare nec tauri ruentis
in venerem tolerare pondus.

ipse autem Horatius Graecos imitatus est poetas, quem ad modum iam Thallwitz in dissertatione 'de Horatio Graecorum imitatore' p. 36 verba 'subacta ferre iugum cervice' contulit cum Theocriti idyll. XXX v. 29 sq.:

καὶ νῦν εἴτ' ἐθέλω, χρή με μάκρον σχόντα τὸν ἄμφενα
ἕλκην τὸν ζύγον, εἴτ' οὐκ ἐθέλω,

et verba 'ferre iugum' contendit cum Theocriti idyll. XII 15 ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἰσοζύγω.

Haud minore cum cautione nobis iudicandum est de eis imaginibus e mari petitis, quibus modo homines surdi, duri, lenti, modo animi vehementes ac saevi designantur. quo cum imaginum genere apte conectuntur similitudines, in quibus mari et scopulis animus crudelis atque durus significatur. sic Euripides Hipp. 304 nutricem Phaedrae dicentem facit: πρὸς τάδ' αὐθαδεστέρα γίγνου θαλάσσης, animum eius obfirmatum indicans. quo cum loco conferas Eur. Med. 28 sq.:

ὡς δὲ πέτρος ἢ θαλάσσιος
κλύδων ἀκούει νουθετουμένη φίλων,

et Andr. 337 sq.:

τί με προσπίτνεις ἁλίαν πέτραν
ἢ κῦμα λιταῖς ὣς ἱκετεύων.

ad haec Graecorum exempla aperte sese adplicavit Horatius C. III 7, 21 sq.:

nam scopulis surdior Icari
voces audit adhuc integer,

et Epod. 17, 53 sqq.:

quid obseratis auribus fundis preces?
non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.

ad quem locum proxime accedunt ea, quae apud Ovidium Met. XI 330 leguntur, quo loco Daedalion filia interempta patrui consolaciones non aliter accepisse dicitur:

quam cautes murmura ponti.

deinde tres breviores imagines id genus ab Ovidio adhibitas commemorabo, epist. VIII 9 'surdior ille freto', Met. XIII 801 'immobilior scopulis',[36]) 804 'surdior aequoribus'. denique addam duas imagines, Met. XI 701 sq., ubi Alcyone marito post naufragium sub Morphei figura conspecto haec queritur:

crudelior ipso
sit mihi mens pelago, si vitam ducere nitar,

et epist. III 133 sq., quo loco Briseis Achilli haec scribit:

sis licet immitis, matrisque ferocior undis,
ut taceam, lacrimis comminuere meis.[37])

Longe alia res est in loco, qui legitur apud Horatium C. I 33, 14 sq.:

. . . . *Myrtale*
libertina, fretis acrior Hadriae
curvantis Calabros sinus,

qua imagine poeta Venusinus puellam illam mobiliorem atque iracundiorem fuisse significare voluit. huius igitur loci procul dubio recordatus est Ovidius Met. XIV 711, ubi Anaxaretae animum sic illustravit:

saevior illa freto surgente cadentibus Haedis,

ita tamen ut ex more suo imaginem ab Horatio profectam variaret.

Iam ad aliam nos conferamus Ovidii imaginem, in qua hic Horatii imitator deprehenditur. in Met. enim l. IV vv. 122 sqq.

---

[36]) Quo loco conferas ea, quae supra p. 150 sq. disputavimus.

[37]) Ceterum tamquam fundus harum imaginum sine dubio est locus ille Il. π 34 sq.:

γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα,
πέτραι δ' ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής.

narratur, quem ad modum Pyramus existimans Thisben a leone consumptam esse sese interfecerit. qua occasione Ovidius sanguinem gladio ex vulnere tracto non aliter in altum exiluisse dicit:

quam cum vitiato fistula plumbo
scinditur et tenui stridente foramine longas
eiaculatur aquas atque ictibus aëra rumpit.

quae imago manavit ex Horatii Epist. I 10, 20 sq.:

purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
quam quae per pronum trepidat cum murmure rivum.

nam quamquam haec res ab Ovidio ipso potuit observari, tamen, cum ea a nemine ante Horatium commemoretur, hoc loco imitationem statuere non dubito, idque eo magis, quod etiam in singulis verbis (dico 'plumbum' et 'rumpere') utriusque loci consensus conspicitur.

Non minus aperta imitatio Horatiana deprehenditur in ea imagine, qua Ovidius Fast. I 211 sqq. avaritiam hac ratione descripsit:

creverunt et opes et opum furiosa cupido,
et, cum possideant plurima, plura petunt.
quaerere, ut absumant, absumpta requirere certant,
atque ipsae vitiis sunt alimenta vices.
sic quibus intumuit suffusa venter ab unda,
quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.

qua in re Ovidium sese composuisse ad Horatii exemplum C. II 2, 13 sqq., ubi eadem imago adhibetur ad avaritiam illustrandam:

crescit indulgens sibi dirus hydrops
nec sitim pellit, nisi causa morbi
fugerit venis et aquosus albo
corpore languor,

iam multi grammatici animadverterunt.

Luculenter etiam Horatii imitatorem prodit imago Ovidiana Am. II 19, 25 sq., ubi de crasso et nimis aperto amore haec leguntur:

pinguis amor nimiumque patens in taedia nobis
vertitur, et stomacho dulcis ut esca nocet.

nam hoc loco Nasonem recordatum esse Hor. Sat. II 2, 75 sqq.:

dulcia se in bilem vertent stomachoque tumultum
lenta feret pituita. vides, ut pallidus omnis
cena desurgat dubia?,

ut omittam neminem praeter Ovidium hac imagine usum esse, etiam verborum singulorum consensu edocemur.

Iam duae restant imagines Ovidianae, quae cum locis Horatianis ita conspirant, ut non sine veri specie statuere liceat Ovidium huius auctoritatem in eis adhibendis secutum esse, Met. I 505 sq., ubi Apollo Daphnen fugientem sic invocat:

nympha mane! sic agna lupum, sic cerva leonem,
sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae,

quarum imaginum, quas ab Homero profectas esse iam alibi dixi, primam et alteram recte conferas cum Hor. Epod. XII 25 sq.:

o ego non felix, quam tu fugis ut pavet acres
agna lupos capreaeque leones;

nam singula in utraque similitudine verba inter se respondere quivis intellegit, et A. A. I 760 sqq., ubi Ovidius tironi in amore haec suadet:

qui sapit, innumeris moribus aptus erit,
utque leves Proteus modo se tenuabit in undas,
nunc leo, nunc arbor, nunc erit hirtus aper,

quem locum apte Zingerle III 20 comparavit cum Hor. Sat. II 3, 71 sqq.:

effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.
cum rapies in ius malis ridentem alienis,
fiet aper, modo avis, modo saxum et, cum volet, arbor.[38])

nam eadem et hic singulorum verborum conspicitur similitudo, quamquam Ovidius et hoc et altero loco pro more suo quaedam variavit.

Sed iam eas, perpaucas quidem, imagines Ovidianas proponamus, quibus in conscribendis ille Tibulli et Propertii memor fuisse putandus est. quod si Tibullum in examen vocamus, primum mihi mentio facienda est loci Met. III 482 sqq.:

pectora traxerunt roseum percussa ruborem,
non aliter quam poma solent, quae candida parte,
parte rubent, aut ut variis solet uva racemis
ducere purpureum nondum matura colorem.

eodem modo uvas et poma coniuncta habes apud Tibullum I 1, 7 sq., quamquam non ad rem per similitudinem illustrandam adhibita, quem locum sine dubio ante oculos habuit Lygdamus (Tib. III 5, 19 sq.). sed haec similitudo non ea est, ut hoc loco

[38]) Cf. Hor. Epist. I 1, 90.

de Tibulli imitatione cogitari possit. aliter vero res se habet in altero Lygdami loco (Tib. III 4, 29 sqq.):

candor erat, qualem praefert Latonia Luna,
et color in niveo corpore purpureus,
ut iuveni primum virgo deducta marito
inficitur teneras ore nitente genas,
aut cum contexunt amarantis alba puellae
lilia et autumno candida mala rubent.

nam illa, quae in versu ultimo de malis leguntur, ita conspirant cum verbis Ovidianis, ut consensum casui tribuere dubites. quam ob rem recte Zingerle hoc loco de imitatione cogitavit. sed utrum Ovidius Lygdamum an Lygdamus Ovidium respexerit, propterea incertum est, quod non pro certo constitui potest Lygdamum prius quam Ovidium carmina sua conscripsisse. quamquam mihi quidem Ovidius Lygdamo inferior fuisse videtur.[39])

Huic loco Ovidiano iam alterum subiungam, Met. IV 330 sqq., quo eadem imago de malis desumpta legitur:

nescit enim, quid amor. sed et erubuisse decebat.
hic color aprica pendentibus arbore pomis,
aut ebori tincto est, aut sub candore rubenti,
cum frustra resonant aera auxiliaria, lunae.

quibus ex imaginibus alteram ad Homerum referendam esse iam p. 37 sq. diximus. quod autem Ovidius aera in auxilium lunae frustra resonantia in imaginem induxit, in ea re fortasse memor esse potuit Tibulli I 8, 21 sq.:

cantus et e curru Lunam deducere tentat,
et faceret, si non aera repulsa sonent,[40])

praesertim cum etiam priorem versum, qui ad cantum lunam e curru deducentem pertinet, et omnino totam, quae in Tibullo praecedit, descriptionem imitationibus expresserit (cf. Zingerle I 73 sqq.).

Tertius denique, qui huc pertinet, locus est Am. II 5, 35 sqq., ubi poeta ruborem, qui amicae culpae consciae vultum occupavit, his illustrat imaginibus:

---

[39]) Ceterum fundus huius imaginis esse videtur Sapphonis locus fr. 93 B.

[40]) Cf. de med. fac. 41 sq.

quale coloratum Tithoni coniuge caelum
subrubet, aut sponso visa puella novo:
quale rosae fulgent inter sua lilia mixtae,
aut ubi cantatis Luna laborat equis,
aut quod, ne longis flavescere possit ab annis,
Maeonis Assyrium femina tinxit ebur.

quo loco in primis notanda est versus 36 cum eis, quae apud Lygdamum III 4, 31 leguntur, similitudo. ceterum Ovidium, cum Met. IV 330 sqq. conscripsit, hunc locum ante oculos habuisse facile intellegitur.

Ne autem fructu suo careat haec disputatio de imaginibus e pomis petitis, iam de quodam Cydippae epistulae loco accuratius agendum erit. cum enim Ovidius his omnibus locis supra allatis imaginem e pomis petitam ad ruborem designandum adhibuerit, nonne quaeso, si epist. XX 215 sq. Cydippe Acontio scribit:

concidimus macie: color est sine sanguine, qualem
in pomo refero mente fuisse tuo,

haec similitudo insolita tibi esse videbitur? quod si in proximis Cydippe Acontio candorem sic illustrare pergit:

candida nec misto sublucent ora rubore,
forma novi talis marmoris esse solet,
argenti color est inter convivia talis,
quod tactum gelidae frigore pallet aquae,

ne quid dicam de contorta verborum collocatione 'candida nec misto sublucent ora rubore', iam alteram habes imaginem plane singularem, dico eam, quae desumpta est ab argento pallente, si aqua frigida tangitur. et cum ne unam quidem imaginem aliquando longius repetitam proferre possis, quam semel tantum Ovidius in carminibus suis adhibuerit, huius autem imaginis neque in Ovidio neque in ceteris poetis ullum exemplum reperiatur, iam hac re, num hic locus ab Ovidio profectus sit, suspicio inicitur. accedit quod ratio, qua singulae imagines inter sese coniunctae sunt, ab ea ratione, qua Ovidius in tali re usus est, prorsus abhorret. nam quicumque Ovidium perlustraverit, facile intelleget eum in similitudinum cumulatione comparationis particulas in fronte uniuscuiusque imaginis ponere solitum esse, veluti, ut unum tibi proponam exemplum, Am. II 5, 35 sqq. quae cum ita sint, offendaris necesse est eo, quod prima imago verbo 'qualem',

altera et tertia verbo 'talis' inducitur atque in tertia imagine illud 'talis' vel ultimum locum occupat pronomine 'quod' subsequente.

Vides iam haec argumenta ad alia eaque multo etiam graviora accedere, quibus comprobatur huius epistulae versus inde a tertio decimo non ab Ovidio, sed ab versificatore quodam profectos esse, ut iure mireris nuper Sedlmayerum in 'Prolegomenis criticis ad Heroides Ovidianas' p. 33 sqq. eorum partes amplexum esse, qui hanc epistulae partem genuinam esse censuerunt.

Hoc loco commemorabo similitudinem Ovidianam e forma fistulae petitam, quae ex inaequalibus harundinibus composita est. Met. enim l. VIII vv. 189 sqq. narratur Daedalum, cum ex Creta aufugere constituisset, sibi et filio Icaro alas adaptavisse, quibus ut volucres Minois regnum relinquerent. qua in re Daedali opus ab Ovidio hunc in modum describitur:

. . . . nam ponit in ordine pennas,
a minima coeptas, longam breviore sequenti,
ut clivo crevisse putes. sic rustica quondam
fistula disparibus paulatim surgit avenis.

at Ovidium certum quoddam exemplum hac in imagine conscribenda spectavisse nullo pacto comprobari potest, quamquam proxime ad hunc locum accedit ea descriptio, quae apud Tibullum II 5, 29 sqq. legitur:

pendebatque vagi pastoris in arbore votum,
garrula silvestri fistula sacra deo,
fistula, cui semper decrescit arundinis ordo:
et calamus cera iungitur usque minor.

ceterum quod legitur in v. 192 'disparibus', in mentem nobis revocat Vergilianum 'est mihi disparibus septem compacta cicutis' (Ecl. II 36).

Iam a Tibullo ad Propertium me converto, quem Ovidium permultis locis imitatum esse inter omnes constat. ac primum quidem locum epistulae quartae vv. 21 sqq. proferam:

scilicet ut teneros laedunt iuga prima iuvencos,
frenaque vix patitur de grege captus equus:
sic male vixque subit primos rude pectus amores,
sarcinaque haec animo non sedet apta meo.

qui locus, quamquam imaginis a iugo petitae usum latissime patere apud omnes poetas et Graecos et Latinos iam supra vidimus, tamen ita conspirat cum Propert. II 4, 3 sqq. B.:

at veluti primo taurus detractat aratra,
post venit assueto mollis ad arva iugo,
sic primo iuvenes trepidant in amore feroces,
dehinc domiti post haec aequa et iniqua ferunt,

ut Ovidium huius similitudinis Propertianae non immemorem fuisse facile concedas. atque haec Propertii descriptio in Ovidii mente eo magis haerere potuit, quod eadem res etsi non per imaginem, tamen per collationem repetitur in eiusdem l. eleg. 34 b, vv. 47 sqq.:

si non ante gravi taurus subcumbit aratro,
cornua quam validis haeserit in laqueis,
nec tu tam duros per te patieris amores:
trux animi a nobis ante domandus erit.

ut autem Ovidius imaginem ex iuvencis petitam coniungeret cum similitudine de equo frena vix patiente, fortasse excitatus est loco Tibulli I 3, 41 sq.:

illo non validus subiit iuga tempore taurus,
non domito frenos ore momordit equus.[41])

eandem descriptionem de tauris iugum et equis frena graviter ferentibus Ovidius per collationem plurimis adhibuit locis, veluti A. A. I 19 sqq.:

sed tamen et tauri cervix oneratur aratro,
frenaque magnanimi dente teruntur equi.
et mihi cedit amor, quamvis mea vulneret arcu
pectora, iactatas excutiatque faces,

et Am. I 2, 13 sqq.:

verbera plura ferunt, quam quos iuvat usus aratri,
detractant pressi dum iuga prima boves.
asper equus duris contunditur ora lupatis:
frena minus sentit, quisquis ad arma facit.
acrius invitos multoque ferocius urget,
quam qui servitium ferre fatentur, amor,

quibus locis tauros et equos habes coniunctos. itemque huc spectat descriptio A. A. II 183 sq.:

obsequium tigrisque domat Numidasque leones,
rustica paulatim taurus aratra subit.

denique ea conferas velim, quibus Ovidius ex P. III 7, 15 sqq. miseram suam condicionem hac descripsit dissimilitudine:

---

[41]) Cf. Tibull. I 4, 16, ubi eadem metaphora ab iugo deprompta legitur.

ductus ab armento taurus detrectat aratrum,
subtrahit et duro colla novella iugo.
nos, quibus adsuevit fatum crudeliter uti,
ad mala iam pridem non sumus ulla rudes.

Sequitur iam, ut de earum imaginum usu pauca disseramus, quae e ventorum et undarum inconstantia et foliorum mobilitate petitae animum infirmum ac levem illustrant. quod imaginum genus iam Zingerle I 39 sq. tetigit ibi, ubi de translationis usu, ex quo verba irrita vento et unda abripi dicuntur, disputavit. sed, quod erat huius propositum, in hac quaestione tractanda non eam respexit huius translationis variationem, ex qua celeritas animi mutationis illustratur imagine ex undis vel ventis incertis petita. itaque non commemoravit Zingerle Propertii locum II 5, 11 sqq.:

non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae,
nec dubio nubes vertitur atra Noto,
quam facile irati verbo mutantur amantes:
dum licet, iniusto subtrahe colla iugo.

cui loco similia sunt ea, quae legimus in eiusdem libri Propertiani eleg. 9, vv. 33 sqq.:

non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
nec folia hiberno tam tremefacta Noto,
quam cito feminea non constat foedus in ira,
sive ea causa gravis, sive ea causa levis.

hanc imaginem e foliis petitam fortasse respexit Ovidius Am. II 16, 45 sq.:

verba puellarum, foliis leviora caducis,
irrita qua visum est, ventus et unda ferunt.

qua imitatione probata nihil certe impedit, quominus Ovidium simul eius translationis usus memorem fuisse censeamus, quem Zingerleum l. c. copiosissime tractavisse paulo supra diximus.[42]) praeterea huc revoco similitudinem, quam Ovidius epist. VI 109 sq. Hypsipylae Iasoni scribenti tribuit:

mobilis Aesonide vernaque incertior aura,
cur tua polliciti pondere verba carent?,

---

[42]) Scite enim Zingerle I 40 cum altero Ovidii versu contendit Propert. II 28, 8 B.:

quicquid iurarunt, ventus et unda rapit.

et imaginem, quam in Heronis ad Leandrum epistula XVIII v. 95 sq. legimus:

non ego tam ventos timeo mea vota morantes,
quam similis vento ne tuus erret amor.

nam licet Propertii locis supra propositis imagines, si rem ad vivum resecamus, non e ventis petitae sint, sed e foliis et nubibus noto motis, tamen has similitudines Ovidianas eodem ex fonte manasse facile tibi persuadeas, cum utrubique levitas et inconstantia illustretur. ceterum hoc loco ea quoque conferenda sunt, quae diligentissime disputavit Zingerle de translationis usu iam supra a me indicato. nam cum ex huius disputatione adpareat Ovidium reliquorum poetarum vestigia secutum metaphorice ventum et undam verba abripientes induxisse, per se patet poetam illarum quoque, quas supra adscripsi, Propertii imaginum aliquatenus recordatum facillimo sane negotio eas excogitare potuisse similitudines, quae ad ventorum mobilitatem atque inconstantiam pertinent. neque nimis audax esse videbor, si eam quoque imaginem Met. III 729 sqq., in qua frondes vento abreptae inducuntur, ad eundem fontem redire contendero, quamquam hoc loco ea translatio ad aliud quid designandum usurpatur, scilicet ad celeritatem indicandam, qua membra Penthei manibus nefandis mulierum diripiuntur.

Eandem autem imaginem de aura incerta simul cum ea, quae folium vento motum spectat, coniunctam habes ex P. IV 3, 33 sq., quo loco poeta exul amico instabili haec scribit:

quolibet est folio et quavis incertior aura:
par illi levitas, improbe, sola tua est.

deinde sola imago e foliis petita invenitur Fast. III 481 sq., ubi Ariadne deserta haec queritur:

Bacche levis, leviorque tuis, quae tempora cingunt,
frondibus . . . . .

quo cum loco apte conferas Propert. II 15, 51 sqq.:

ac veluti folia arentis liquere corollas,
quae passim calathis strata natare vides,
sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
forsitan includet crastina fata dies,

et II 3, 12:

utque rosae puro lacte natant folia,

ubi eodem modo de rosarum foliis sermo est, quae aut ex coronis, quibus convivantes ornati erant, aut si quando convivae ludendo rosas inter se iaciebant, forte in patinas lacte repletas deciderant. id quod facile intellegitur hoc Ovidii loco (Fast. V 359 sq.) inspecto, qui sine dubio redit ad imagines illas Propertianas modo commemoratas:

annuit. et motis flores cecidere capillis,
accidere in mensas ut rosa missa solet.

denique huc spectant imagines epist. V 109 sqq., quibus Oenone Paridi, qui in suo amore non steterat, sed levitate et inconstantia ad Helenam sese converterat, haec obicit:

tu levior foliis, tum cum sine pondere suci
mobilibus ventis arida facta cadunt.
et minus est in te quam summa pondus arista,
quae levis assiduis solibus usta riget.

eum autem, quem paulo supra commemoravi Propertii locum II 3, 12 sqq. Ovidio bene notum fuisse eo quoque evincitur, quod ille, quae apud Propertium v. 14 leguntur 'non oculi, geminae, sidera nostra, faces', Am. II 16, 44 sic adumbravit 'per me perque oculos, sidera nostra, tuos'. quibuscum conferas Met. III 420:

spectat humi positus geminum, sua lumina, sidus.

atque inde suspicari licet Ovidium in primis Propertium ante oculos habuisse epist. XIX 55 sq., ubi Acontium Cydippae haec scribentem fecit:

tu facis hoc oculique tui, quibus ignea cedunt
sidera, qui flammae causa fuere meae,

et Met. I 498 sq.:

. . . . . . *videt igne micantes*
sideribus similes oculos . . . .

quamquam haud ignoro, quam late usus huius translationis ab oculis ad sidera pateat. cf. quoque Am. III 3, 9.[43])

Sed iam hanc dissertationis partem absolvamus ultima, quae huc referenda esse videtur, imagine prolata, dico eam, qua Propertius IV 8, 55 sq. feminae saevitiam hunc in modum descripsit:

---

[43]) Hoc loco breviter commemoro duas imagines e sideribus petitas, quibus tamen numerus tantummodo indicatur, A. A. I 59 et Trist. IV 10, 107 sq. cuius translationis usum iam Catullum adhibuisse p. 121 vidimus.

fulminat[44]) *illa oculis et quantum femina saevit,*
spectaclum capta nec minus urbe fuit.

quam similitudinem duabus imitationibus expressit Ovidius, Met. XII 224 sq., ubi Lapitharum et Centaurorum pugnam sic illustravit:

Eurytus Hippodamen, alii, quam quisque probabant
aut poterant, rapiunt; captaeque erat urbis imago,

et Trist. I 3, 25 sq., quo loco eadem imagine usus est ad miseram suam condicionem illustrandam eo tempore, quo Caesaris iussu Romam relicturus erat:

si licet exemplis in parvo grandibus uti,
haec facies Troiae, cum caperetur, erat.

ac luculentissimum imitationis indicium est id, quod uterque poeta eisdem fere verbis usi sunt. nam in eo, quod Ovidius pro Propertii voce 'spectaculum', 'imaginis' et 'faciei' voces adhibuit, nihil aliud conspicitur quam illud, quod in poeta erat, variandi studium. ceterum hoc quoque urgendum, quod Ovidius eos versus, qui Propertii locum aut antecedunt aut secuntur, aliis expressit imitationibus. qua re ea, quae de his locis diximus, quam maxime comprobantur.

Iam res ipsa postulare videtur, ut statim eas perpaucas imagines recenseamus, in quibus conscribendis Ovidius aliorum praeter hos, de quibus accuratius exposuimus, poetarum vestigia secutus est. ac primo loco commemorabo imaginem, quae in Fast. l. I vv. 493 sq. legitur:

omne solum forti patria est, ut piscibus[45]) *aequor,*
ut volucri, vacuo quicquid in orbe patet.

qua imagine collata cum Eurip. fragm. 1034 N. ἅπας μὲν ἀὴρ ἀετῷ περάσιμος, ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς tam certa deprehenditur imitatio, ut rem pluribus exponere putidum videatur.

Non minus luculenta imitationis indicia reperiuntur in ea imagine, qua poeta ex P. IV 14, 13 sq. indicat, quanto opere ipse loca exilii sui oderit:

gramina cultus ager, frigus minus odit hirundo,
proxima Marticolis quam loca Naso Getis.

---

[44]) Qua cum voce conspirat imago Ovidiana Met. VIII 355.

[45]) Qua occasione commemorare mihi liceat Ovidium saepius pisces in similitudinibus induxisse, qua re tamen multitudinis tantummodo notio adumbratur. idcirco hos locos breviter enumerare sufficiet: A. A. I 58; Trist. IV 1, 56; V 2, 25; ex P. II 7, 28.

conformata enim est haec imago ad Theocriti exemplum idyll. VIII 57 sqq.:

> δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακόν, ὕδασι δ' αὐχμός,
> ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ, ἀγροτέροις δὲ λίνα,
> ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἁπαλᾶς πόθος.

certe maior est loci Ovidiani cum his Theocriti versibus consensus quam cum Vergilii, qui et ipse hos imitatus est ecl. III 80 sq.:

> *triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,*
> *arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.*

sed quamquam huius loci formam a Theocrito repetierunt et Vergilius et Ovidius, tamen novas uterque protulerunt imagines. ceterum quod agrum cultum in imagine sua induxit Ovidius, id quandam habet similitudinem cum Theocriti idyll. XVIII vv. 29 sqq.:

> πιείρᾳ ἅτε λᾷον ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ
> ἢ κάπῳ κυπάρισσος ἢ ἅρματι Θεσσαλὸς ἵππος,
> ὧδε καὶ ἁ ῥοδόχρως Ἑλένα Λακεδαίμονι κόσμος.

sed propius etiam accedunt ea, quae leguntur A. A. I 359 sq.:

> *mens erit apta capi tum, cum laetissima rerum*
> *ut seges in pingui luxuriabit humo.*

eadem porro imaginis forma, quam in loco supra allato ex P. IV 14, 13 sq. inesse videmus, invenitur Rem. 141 sqq.:

> *quam platanus vino gaudet, quam populus unda,*
> *et quam limosa canna palustris humo,*
> *tam Venus otia amat.*

qui versus similitudine quadam coniuncti sunt cum duobus Vergilii locis ecl. V 32 sqq.:

> *vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,*
> *ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:*
> *tu decus omne tuis,*

et ecl. VII 65 sqq.:

> *fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,*
> *populus in fluviis, abies in montibus altis,*

quorum cum altero Ovidii imago conspirat ita, ut eam ex hoc fonte manavisse iure suspiceris.[46])

---

[46]) Imagines, quae in Sapphonis epistula leguntur, breviter hoc loco enumerabo. nam etsi Ovidius ipse Am. II 18, 26 testatur se talem epistulam

Iam nihil restare videtur nisi ut eas similitudines, quae apud Ovidium solum leguntur enumeremus. qua in re ab imaginibus ex animalibus petitis exordiamur ac primum eas, quae ad aves pertinent, recenseamus. Met. VI 717 sq. Ovidius fratres gemellos Calaim et Zetem, Boreae et Orithyiae filios, quibus simul cum barba in humeris alae increverunt, hac illustrat imagine:

mox pariter pennae ritu coepere volucrum
cingere utrumque latus, pariter flavescere malae.

quam similitudinem de avibus desumptam poetae iam re ipsa se commendasse nemo non intellegit. non aliter res se habet in ea imagine, qua Daedalus Icarum filium leges volandi docens cum ave confertur, quae mollem progeniem in aëra producit ab nido excelso, Met. VIII 213 sq.:

ante volat, comitique timet, velut ales, ab alto
quae teneram prolem produxit in aëra nido.

atque eadem similitudo reperitur A. A. II 65 sq.:

dum monet, aptat opus puero, monstratque moveri,
erudit infirmas ut sua mater aves.

His accedit imago Met. II 716 sqq., ubi Mercurius in aëre pendens atque virgines sacra canistris in templa ferentes oculis prosequens, hac ratione illustratur:

ut volucris visis rapidissima miluus extis,
dum timet et densi circumstant sacra ministri,
flectitur in gyrum, nec longius audet abire,
spemque suam motis avidus circumvolat alis:
sic super Actaeas agilis Cyllenius arces
inclinat cursus et easdem circinat auras.

hae imagines omnes nonne ipsae tamquam sponte sese obtulerunt poetae?

Apte autem cum illis consociatur ea similitudo, qua Ovidius Trist. I 6, 11 sqq. aviditatem hominis cuiusdam perfidi notavit, qui rebus adversis, quibus premebatur poeta, in huius bona involaturus erat:

---

conscripsisse, tamen omnes fere grammatici nunc uno ore consentiunt id carmen, quod nobis recentibus tantum codicibus traditum est, ab Ovidio abiudicandum esse. quibus me adsentiri non posse ingenue fateor. sed quaestionem illam difficillimam sane pertractare ab hoc loco alienum esse existimo. qua re id quod supra dixi imagines, quae epistula illa continentur, hoc loco adnotasse sufficiat; cf. v. 9 sq., 12, 115 sq., 124, 157, 189.

aut ut edax vultur corpus circumspicit ecquod
sub nulla positum cernere possit humo,
sic mea nescio quis, rebus male fidus acerbis,
in bona venturus, si paterere, fuit.

eiusdem generis est comparatio Trist. V 10, 19. quas ad imagines conscribendas Ovidius iam eo excitatus esse videtur, quod similitudo illa de vulture desumpta apud Romanos in proverbium abierat de parasitis edacibus testamentorumque captatoribus usitatum; cf. Plaut. Truc. II 3, 16; Trin. I 2, 64; Most. III 12, 47 sqq.; Catull. LXVIII 124; Sen. epist. 95, 43; Mart. VI 62.

Sequatur imago a cycno petita Trist. IV 8, 1 sq.:

iam mea cycneas imitantur tempora plumas,
inficit et nigras alba senecta comas,

quae quodam modo conferri potest cum Hor. C. II 20, 9 sqq. denique Ovidius ex P. III 3, 17 sqq. maestum Amorem hunc in modum descripsit:

horrida pendebant molles super ora capilli,
et visa est oculis horrida pinna meis:
qualis in aëriae tergo solet esse columbae,
tractantum multae quam tetigere manus.

Iam ad imagines e quadrupedibus petitas transeuntes verbo tantum commemorabimus similitudinem, qua epist. X incohatur:

mitius inveni quam te genus omne ferarum,

et eam, quae legitur Trist. V 7, 45 sq.:

sive homines, vix sunt homines hoc nomine digni,
quamque lupi, saevae plus feritatis habent.

nam eius modi imagines tritae profecto sunt ac pervolgatae.

Sed exquisitior est ratio eius similitudinis, qua poeta Perseum, qui in pugna dubitat, dextra laevane feratur, illustravit Met. V 164 sqq.:

tigris ut auditis diversa valle duorum
extimulata fame mugitibus armentorum
nescit, utro potius ruat, et ruere ardet utroque.

qui locus id commune habet cum Theocriti idyll. XIII 61 sqq.:

ὡς δ' ὁπότ' ἠϋγένειος ἀπόπροθι λῖς ἐσακούσας
νεβρῶ φθεγξαμένας τις ἐν οὔρεσιν, ὠμοφάγος λῖς,
ἐξ εὐνᾶς ἔσπευσεν ἑτοιμοτάταν ἐπὶ δαῖτα,
Ἡρακλέης τοιοῦτος ἐν ἀτρίπτοισιν ἀκάνθαις,

quod hic leo hinnuleum balantem, illic tigris boves mugientes procul audiens inducitur. itemque ea, qua feminae furor A. A. II 375 depingitur, imago est variatio similitudinis Il. σ 318 sqq., quam Nasonem etiam alia imagine Met. XIII 547 sq. imitatum esse p. 14 demonstravimus.

Imagines ad taurum pertinentes praeter eas, quas iam tractavimus, quattuor leguntur apud Ovidium hoc loco commemorandae. quarum ea, quae extat Met. VIII 762 sqq., originem suam rei ipsi, cui illustrandae inservit, debet. nam cum Ovidius narret, quem ad modum Triopeius impius quercui sacrae securi plagam impegerit, quanam alia imagine poeta cruorem e cortice disiecto manantem melius illustrare potuit quam hac:

haud aliter fluxit discusso cortice sanguis,
quam solet, ante aras ingens ubi victima taurus
concidit, abrupta cruor e cervice profundi.

altera imago Met. II 623 sqq. eandem rem, scilicet immolationem spectat, qua in re Naso non minus commutavit et variavit similitudinem illam Homericam Il. ρ 520 sqq. ab Ovidio saepius expressam (cf. p. 19). tertia, quae huc pertinet, imagine Hercules in maximo cruciatu altum per Oetam gradiens illustratur Met. IX 205 sq.:

haud aliter graditur, quam si venabula taurus
corpore fixa gerat, factique refugerit auctor.

quarta denique similitudo ad Cererem filiam ereptam querentem pertinet Fast. IV 459 sqq.:

ut vitulo mugit sua mater ab ubere rapto,
et quaerit foetus per nemus omne suos:
sic dea. nec retinet gemitus, et concita cursu
fertur.

Ex fabula, quae in proverbii consuetudinem abierat, sumpta est ea imago, qua Ovidius Vestalis virtutem ex P. IV 7, 51 sq. celebravit:

sed tantum virtus alios tua praeterit omnes,
ante citos quantum Pegasus ibat equos.

Iam quae nondum examinatae sunt similitudines a cervis, agnis, leporibus depromptae nihil aliud spectant, quam ut his animalibus timidis metus vel pavoris vis illustretur. sic Ovidius Trist. III 11, 11 sqq. suum ipsius pavorem hoc modo illustrat:

utque fugax avidis cervus deprensus ab ursis,
cinctaque montanis ut pavet agna lupis,

sic ego belligeris a gentibus undique saeptus
terreor, hoste meum paene premente latus.

ceteras, quae huc pertinent imagines quam brevissime significabo his siglis: A. A. I 118, Met. V 626 sqq., VI 527 sq., XI 771 sq., Fast. III 646. elegantior est similitudo in Met. XI 25 sqq., qua mulierum impetus in Orpheum describitur:

structoque utrimque theatro
ceu matutina cervus periturus harena
praeda canum est, vatemque petunt et fronde virentes
coniciunt thyrsos non haec in munera factos.

qua imagine comprobatur Ovidium assiduum venationum in circo spectatorem fuisse (cf. p. 139).

Ex vitae cotidianae usu depromptae sunt imagines A. A. III 289 sq.:

illa sonat raucum quiddam atque inamabile ridet,
ut rudit a scabra turpis asella mola,

ex P. III 3, 101 sq.:

livor, iners vitium, mores non exit in altos,
utque latens ima vipera serpit humo,

quo cum loco conferri quodam modo potest Verg. Georg. III 416 sq., denique ex P. I 1, 69 sqq., ubi poeta curas mordentes comparat cum teredine occulta navis vitiante et tinea libros carpente.

Met. XV 303 sqq. Ovidius rationem, qua tumulus ad urbem Troezena venti eruptione factus sit, his describit imaginibus:

vis fera ventorum . . . . . .
extentam tumefecit humum, ceu spiritus oris
tendere vesicam solet aut direpta bicornis
terga capri.

ex quibus priorem ad Lucretii locum redire iam supra (p. 92) demonstrare studuimus, alteram Ovidius facile ex vitae cotidianae usu repetere potuit. atque idem fere contendere licet de imagine Met. XII 481, ubi Latrei hasta a Caenei facie recussa comparatur cum parvo saxo a cavo tympano resiliente.

Recensitis imaginibus ex animalibus petitis, iam similitudines, quae ad varias plantas pertinent, enumerentur. atque ut ab arboribus initium faciamus, Met. III 78 narratur serpens, quam Cadmus adgressus est, 'longa trabe' rectior surrexisse, et Trist. I 6, 5 laudat Naso fidem amici, cuius ope fultam esse

ruinam suam dicit veluti 'trabe supposita'. epist. VII 52 Didonem Aeneae scribentem facit 'nisi duritia robora vincis'.

Ad pallorem vultus significandum Ovidius usus est imaginibus e buxo petitis Met. IV 134 sq. 'oraque buxo pallidiora gerens' et Met. XI 417 sq. 'buxoque simillimus ora pallor obit', aut e foliis et frondibus frigore laesis Fast. VI 149 sq. 'color oris erat, qui frondibus olim esse solet seris, quas nova laesit hiems', Trist. III 8, 29 sq. 'quique per autumnum percussis frigore primo est color in foliis, quae nova laesit hiems', A. A. III 703 sqq. 'palluit, ut serae lectis de vite racemis pallescunt frondes, quas nova laesit hiemps', quo loco more suo alias imagines ad rem ornandam atque amplificandam adiunxit: 'quaeque suos curvant matura cydonia ramos, cornaque adhuc nostris non satis apta cibis'. denique huc pertinet imago ex cera petita, quippe quae eidem colori illustrando inserviat ex P. I 10, 27 sq.:

parvus in exiles sucus mihi pervenit artus:
membraque sunt cera pallidiora nova.

quarum imaginum similia exempla apud ceteros poetas non inveni, qui ad pallorem illustrandum aliis utuntur imaginibus, veluti Catullus LXXXI 4 'hospes inaurata pallidior statua'.

Non aliter comparata est imago, quae legitur Am. I 14, 9 sqq.:

nec tamen ater erat, nec erat tamen aureus ille,
sed, quamvis neuter, mixtus uterque color:
qualem clivosae madidis in vallibus Idae
ardua derepto cortice cedrus habet.

Ad vitae cotidianae usum et sermonem redeunt tales imagines, quales legimus A. A. III 161 sq.:

. . . . raptique aetate capilli,
ut borea frondes excutiente cadunt,

Am. I 14, 23 sq.:

cum graciles essent tamen et lanuginis instar,
heu, mala vexatae quanta tulere comae,

denique Trist. V 4. 29 sq.:

quam vultus oculosque tuos, o dulcior illo
melle, quod in ceris Attica ponit apis;

nam mel Atticum proverbii vim obtinebat.

Cui imagini statim adnectere iuvat similitudinem ex P. I 2, 57 sq., quo loco poeta exul pectora sua assiduis sollicitudinibus diffluentia hac ratione illustrat:

sic mea perpetuis liquefiunt pectora curis,
ignibus admotis ut nova cera solet.

Contra origo earum imaginum, quae Met. IV 352 sqq. de Hermaphrodito proponuntur:

ille cavis velox applauso corpore palmis
desilit in latices, alternaque bracchia ducens
in liquidis translucet aquis, ut eburnea si quis
signa tegat claro vel candida lilia vitro,

sine dubio ex ipsius poetae observatione repetenda est.

In imagine autem, quae extat Am. III 7, 65 sq.:

nostra tamen iacuere, velut praemortua, membra
turpiter, hesterna languidiora rosa,

fortasse exemplo quodam ductus est Ovidius, cum similes imagines etiam alibi sese offerant, veluti contraria translatione ab hominibus ad flores Ciceronem, cum dixit 'languidulae coronae', usum esse refert Quintilianus VIII 3, 66.

Ex imaginibus, quae ad aquam pertinent, hoc loco commemoranda est similitudo A. A. III 62 sqq.:

. *eunt anni more fluentis aquae.*
nec quae praeteriit, iterum revocabitur unda,
nec quae praeteriit, hora redire potest,

quae fortasse redit ad Heracliteum illud πάντα χωρεῖ καὶ οὐδὲν μένει, quod Nasonem etiam manifesto expressisse similitudine Met. XV 178 sqq. p. 49 ostendimus.

Quod autem ad alteram imaginem ab aqua petitam attinet, qua lacrimae cum aqua fluente conferuntur, Fast. II 820:

. *fluunt lacrimae more perennis aquae*

et epist. VIII 62:

perque sinum lacrimae fluminis instar eunt,

fundum similis imaginis, quae nivem liquescentem spectat, iam p. 32 sq. deteximus. certe huius generis imagines satis tritae nihil aliud esse videntur quam variationes similitudinis loco illo tractatae. praeterea conferas imagines huc referendas, quae extant Epist. X 138; Am. I 8, 50; III 9, 25, denique similitudinem ad mare tremulum pertinentem Met. IV 135 sq., quam fortasse

iam p. 25 commemorare debueram. nam in his omnibus imaginibus Ovidium prorsus nihil novi induxisse sed plus minus exempla quaedam commutasse, quicumque ea, quae adhuc disputavimus, perspecta habuerit, sponte concedet.

Si porro Ovidius Fast. IV 303 navem, qua matris Idaeae signum vehebatur, in vado limoso haerentem sic illustrat:

illa velut medio stabilis sedet insula ponto,

originem huius imaginis indicare velle iocari est, quoniam unicuique patet poetam re ipsa ad hanc similitudinem conscribendam ductum esse. prorsus idem valet de imagine Met. III 660 sq.:

stetit aequore puppis
haud aliter, quam si siccum navale teneret,

et de ea, quae legitur Trist. III 10, 47:

inclusaeque gelu stabunt, ut marmore, puppes.

Complures imagines desumpsit Ovidius e glaciei natura, qua animi frigus et lentitudinem depingeret, veluti epist. I 22 'frigidius glacie pectus amantis erat', X 32 'frigidior glacie semianimisque fui', Rem. 492 'frigidior glacie fac videare tuae', denique ex P. III 4, 33 sq. 'pectora sint nobis nivibus glacieque licebit atque hoc, quem patior, frigidiora loco'.

Ex imaginibus ad ventum pertinentibus una hoc loco commemoranda est, epist. XI 9, ubi Canace Macareo de Aeolo haec scribit:

ut ferus est multoque suis truculentior euris.

quae imago adeo est simplex atque trita, ut de eius fonte inquirere putidum esse videatur.

His adiungam duas imagines de luna petitas, quarum in una, quae legitur Met. III 681 sq., cornua lunae formae illustrandae inserviunt:

falcata novissima cauda est,
qualia dimidiae sinuantur cornua lunae,

in altera autem, quae extat Met. IX 783 sq., lunae splendor designatur:

et templi tremuere fores, imitataque lunam
cornua fulserunt . . . .

quae imagines certe simplicissimae sunt usuque vulgatae. fieri tamen potuit, ut Ovidius in priore Apollonii exemplum sequeretur Arg. IV 1612 sqq.:

. . . . κόπτε δ' ἀκάνθαις
ἄκρον ὕδωρ, αἴτε σκολιοῖς ἐπὶ νειόθι κέντροις,
μήνης ὡς κεράεσσιν ἐειδόμεναι διχόωντο.

nam cum utrubique non solum una eademque imago proferatur, sed etiam hac ipsa imagine una eademque res illustretur, Ovidium poetam Alexandrinum imitatum esse non sine quadam veritatis specie suspicari licet.

Iam complures restant imagines ad montem, saxum aliaque huius generis pertinentes, quae tamen omnes adeo simplices sunt, ut de earum origine nihil omnino affirmari possit. nam si Ovidius Met. IX 54 sq. Acheloum de pugna cum Hercule haec narrantem facit:

protinus avertit, tergoque onerosus inhaesit,
. . . .
. . *inposito pressus mihi monte videbar,*

et Met. XII 124 fraxinum ab Achille in Cycni corpus missam indeque repulsam esse dicit:

. . *velut muro solidaque a caute* . .

per sese intellegitur poetam in his similitudinibus conscribendis neminem ante oculos habuisse. idem iudicium ferre licet de imaginibus, quae leguntur Met. XI 503; XIV 794 sq.; A. A. III 573 sq.; deinde de eius translationis usu, ex quo conchis numerus indicatur, veluti A. A. II 519, Trist. V 2, 23, Met. XI 615. nam hae imagines omnes nequaquam magnam sollertiam produnt poeticae inventionis, utpote cum facillime aliae ad alia exempla iam tractata revocari possint.

Itemque nulla imitationis vestigia reperiuntur in ea imagine, quae legitur Met. XI 553 sqq.:

unda, velut victrix, sinuataque despicit undas,
nec levius, quam si quis Athon Pindumve revulsos
sede sua totos in apertum everterit aequor,
praecipitata cadit pariterque et pondere et ictu
mergit in ima ratem.

qua in similitudine Ovidius Athone et Pindo commemoratis ad historiam Xerxis alludere videtur, qui hunc montem continenti abscidit, et ad praeclarum Herculis facinus, qui Thessaliam aquis stagnantibus liberavit.

Imagines quae leguntur Am. I 7, 51 sq.:

adstitit illa amens albo et sine sanguine vultu,
caeduntur Pariis qualia saxa iugis,

et epist. X 50:

quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui,

revocandae sunt ad similitudines e saxis petitas, de quibus p. 150 sqq. disputavimus. eiusdem generis sunt imagines Met. I 405 sq., III 419, IV 675, quas hoc loco proponere supervacaneum esse puto.

Hic breviter adnecto complures simplices imagines ad colores illustrandos adhibitas, quarum usum in sermone sat pervolgatum fuisse facile comprobari potest, veluti Met. II 855 sq. 'cornua parva quidem, sed quae contendere possis facta manu, puraque magis perlucida gemma', Met. X 211 sq. 'Tyrio nitentior ostro flos oritur', Met. VIII 79 'illa mihi est auro pretiosior', Met. XIII 813 'sunt auro similes longis in vitibus uvae', Met. XII 402 'totus pice nigrior atra',[47]) A. A. II 658 'nigrior Illyrica cui pice sanguis erit', ex P. IV 14, 45 sq. 'adde, quod Illyrica si iam pice nigrior essem, non mordenda mihi turba fidelis erat'.

Non aliter res se habet in imagine Trist. I 5, 25 sq.:

scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
tempore sic duro est inspicienda fides.

quae imago quamquam conspirat cum Theognidis v. 499 sqq.:

ἐν πυρὶ μὲν χρυσόν τε καὶ ἄργυρον ἴδριες ἄνδρες
γιγνώσκουσ', ἀνδρὸς δ' οἶνος ἔδειξε νόον,

tamen Ovidius ea, quibus ad sententiam suam exornandam usus est, non ex Theognide ipso, sed ex proverbii consuetudine petiisse videtur.

Denique hoc loco commemorabo similitudinem, quae legitur Ib. 419 sq.:

utque per alternos unda labente recursus
subtrahitur presso mollis arena pedi,

quam primus Ovidius ex vitae cotidianae usu depromptam adhibuisse videtur.

Pervenimus iam ad eas imagines, quas e hominum vita et cultu et rebus gerendis Ovidius desumpsit ita, ut nullum in ea re sequeretur auctorem. in quibus primum locum obtinent eae, quae ad res navales et navigandi artem pertinent, simpli-

---

[47]) Cf. Il. δ 277 sq.

cissimae plerumque atque ita comparatae, ut haud quicquam proprii et peculiaris in eis inveniatur. quam ob rem duas tantum hoc loco proponam, Met. VIII 470 sqq.:

utque carina,
quam ventus ventoque rapit contrarius aestus,
vim geminam sentit paretque incerta duobus:
Thestias haud aliter dubiis affectibus errat,
perque vices ponit positamque resuscitat iram,

et Am. II 10, 9 sq.:

errant, ut ventis discordibus acta phaselos,
dividuumque tenent alter et alter amor.

ceteras, Am. II 9, 31 sq., Met. IV 706, XIII 366 sq., Trist. II 18, ipse velim conferas. quo loco facere non possum, quin commemorem Ovidium innumeris fere locis vitae cursum metaphoris a navigatione depromptis adumbravisse, quibus in translationibus adhibendis iam alii praeiverunt poetae, in primis Euripides, cuius in tragoediis plurima eius usus exempla reperiuntur.

Sed iam ad similitudines e rebus militaribus petitas progrediamur, quae et ipsae simplicissimae sunt nec multis artificiis ornatae, veluti ea, ex qua Met. IV 517 sq. Athamantem Learchum filium suum bis terve per aras 'more fundae' rotasse narratur, vel quae te tormentis ac machinis desumptae sunt imagines Met. VIII 357 sqq., IX 218, XI 508 sq., Trist. I 2, 48. itemque si poeta Met. VIII 285 saetas apri, qui Calydoniae agros vastavit, similes fuisse dicit hastilibus rigidis et Met. VI 673 rostrum epopis confert cum longa cuspide, tales imagines pervolgatas fuisse facile intellegitur.

Maiorem prae se ferunt ornatum hae imagines a militibus tironibus profectae ex P. III 4, 31 sq.:

tamque ego sumpsissem tali clamore vigorem,
quam rudis audita miles miles ad arma tuba,

et Ib. 47 sqq.:

utque petit primo plenum flaventis arenae
nondum calfacti militis hasta solum:
sic ego te nondum ferro iaculabor acuto,
protinus invisum nec petet hasta caput,

quibuscum contendi possunt imagines, quae extant Met. XIII 367 sq. et Trist. II 17.

Iam vero quae reliqua sunt quam brevissime transigamus. imaginem, qua Met. X 515 sq. Adonidis forma comparatur cum

corporibus nudis Amorum, quae in tabula pinguntur, ex picturis, quibus ea aetate parietes etiam frequentissime ornabantur, petiit· similitudines Met. IX 78, ubi Achelous narrat se cum Hercule pugnantem huius pollicibus ceu forcipe pressum esse, et Met. V 389, quo loco frondes silvae Phoebeos ignes seu velum submovisse dicuntur, vitae cotidianae usus quasi subministravit Ovidio (cf. quoque Am. I 14, 6). idem valet de similitudine Met. III 111 sqq., ubi homines, qui e dentibus in terra satis enascuntur, cum imaginibus comparantur, quibus in theatris ornata sunt aulaea, his sublatis paulatim emergentibus, et de imagine in eiusdem libri v. 685, quo loco nautae Tyrrheni in delphines mutati 'in chori speciem' lusisse dicuntur. denique huc spectat imago Met. VII 125 sqq., ex qua viri e dentibus vipreis satis enascentes conferuntur cum infante in matris alveo crescente. addam simul vitae humanae aetates cum quattuor anni temporibus collatas Met. XV 199 sqq., qua in re iam apud Graecos ἔαρ et χειμῶνα de iuventute et senectute frequentissima fuisse non est quod pluribus exponam. denique adnotetur similitudo e cancri natura deprompta, quippe qua perbene Ovidius Aglauri mutationem in durum saxum illustraverit Met. II 825 sqq.

Singularis imago Ovidiana inde profecta est, quod poeta deos in consilio Lycaonis factum detestantes eumque ad supplicia petentes confert generi humano attonito atque perculso, cum caterva scelesta furore impulsa Iulii Caesaris caede nomen Romanum evertere ausa est, Met. I 200 sqq., qua imagine sine dubio ad gentis Iuliae gloriam celebrandam usus est.

Complures similitudines Ovidianae inde profectae sunt, quod singulae fabulae poetae tamquam ultro singulas subministraverunt imagines. sic Met. I 555 narratur Daphnen Apollinem fugientem in laurum conversam esse. cuius arboris ramos ut 'membra' amplexus est deus bracchiis et oscula dedit ligno. atque eadem similitudo paulo postea v. 567 continuatur, ubi cacumen huius arboris se movisse dicitur 'tamquam caput'. ceteras id genus, ne taedium pariam legentibus, quam brevissime indicabo. sunt autem hae: Met. I 708, II 360, 501, III 240, X 508, XI 12, 734, XV 466.

Quod si Ovidius Met. III 240 sq. de Actaeone in cervum converso, quem canes morsibus dilacerant, haec dicit:

et genibus pronis supplex similisque roganti
circumfert tacitos tamquam sua bracchia vultus,

respexisse videtur Vergilii Aen. VII 502, ubi eodem modo cervus ab Ascanio vulneratus 'similis imploranti' dicitur. itemque Naso, cum Fast. V 3 sqq. sese ipsum confert viatori ignoranti, qua sit eundum:

ut stat, et incertus qua sit sibi, nescit, eundum,
cum videt ex omni parte viator iter:
sic, quia posse datur diversas reddere causas,
qua ferar, ignoro, copiaque ipsa nocet,

fortasse ad eam rem Vergilii excitatus est exemplo, apud quem Georg. IV 96 sqq. eadem de viatore imago legitur, quamquam paulo aliter instituta. atque etiam in ea comparatione adhibenda, ex qua Ovidius Fast. II 813 sq. Lucretiam passis crinibus lacrimantem contulit cum matre ad nati rogum itura, iam praeivit Homerus, qui Il. ψ 222 sqq. Achillem Patrocli mortem deflentem pulcherrime comparavit cum patre ossa filii sui comburente ac querente. contra ea imago, in qua epist. XIX 77 sq. famuli summissas manus tendentes inducuntur, sine dubio e vitae cotidianae usu fluxit.

Restant imagines Ovidianae, quae a viris illustribus aut fabulis aut historiis celebratis petitae sunt. cuius generis est similitudo ex P. III 9, 23 sq., ubi poeta corrigendi laborem tanto magis arduum esse dicit, quanto 'magnus Aristarcho maior Homerus' fuerit. altera imago eius generis extat ex P. I 3, 5 sq., quo loco exul poeta fatetur, se ex Rufini litteris magnam cepisse voluptatem ac spem, quem ad modum heros Paeantius expertus sit auxilium medicum vulnere artibus Machaoniis sanato. prorsus eadem est ratio imaginis Trist. II 19 sq. et I 1, 100. porro huc referenda est similitudo, quae extat in Am. l. II elegia 6 ab Ovidio in mortem psittaci composita, qua in conscribenda Naso manifesto sese adplicavit ad Catulli carmen tertium. in hac enim elegia amicitia atque concordia, quae inter psittacum et turturem fuit, v. 15 sq. lepidissime hunc in modum celebratur:

quod fuit Argolico iuvenis Phoceus Orestae,
hoc tibi, dum licuit, psittace, turtur erat.

quarto loco commemoranda est similitudo Trist. I 7, 17 sq., ubi Ovidius libellos suos non meritos in focum se immisisse

scribit, quem ad modum Thestias cremasse fertur filium suum torre in ignem immisso. ultima, quae huc pertinet, imago legitur ex P. IV 1, 29 sqq., quo loco poeta fatetur se tamquam opus esse S. Pompei eodem modo, quo Venus labor et laus sit artificis Coi, aut Minerva vel eburnea vel aenea in Athenarum arce erecta sit manu Phidiae, aut Calamis laudem equorum, quos fecerit, sibi vindicet, aut denique vacca aenea verae similis Myronis sit opus. quam ad imaginem conformata est altera, qua non minus fastidiose S. Pompeium adulatur Ovidius ex P. IV 15, 14 sqq.

His iam addam imagines a diis petitas, quibus frequentissime usus est Ovidius. atque quater eisdem verbis repetiit illam de Diana succincta A. A. III 143; Met. I 695; IX 89; X 536. plurimas imagines a Baccho eiusque cultu desumpsit; cf. epist. IV 47 sqq.; X 48; XIII 33 sq.; Am. I 14, 21 sq.; 32; A. A. I 312; III 710; Rem. 593 sq.; Met. VII 258; IX 642 sqq.; Fast. IV 457 sq.; Trist. IV 1, 41 sq. deinde Iovis per similitudinem mentionem fecit Fast. II 131 sq.; (Trist. II 33 sqq.); Trist. II 215 sq., Herculis Met. XV 231; ex P. IV 13, 11, Naidum et Dryadum Met. VI 452 sq., et omnino deorum aut dei Met. VI 182; Trist. V 8, 29. denique caput Gorgonis in similitudinem inducitur A. A. II 309; III 504.

Denique absolvamus hanc imaginum seriem nonnullis similitudinibus aliquanto magis exornatis, quae huc revocandae sunt, prolatis. ex P. IV 14, 57 sqq. Ovidius sibi Tomos tam caros esse dicit, quam grata Latonae Delia tellus fuerit; ex P. I 2, 39 sqq. queritur supplicium suum sibi asperius fieri longo tempore, quem ad modum iecur Tityi semper renascens non absumatur. itemque huc revoco imaginem Trist. III 14, 13 sq., quo loco Ovidius dicit versus ex se sine matre esse creatos exemplo Palladis, et similitudinem ex P. IV 8, 75 sqq., ubi Naso Suillio, uxoris suae genero, scribit huic neque docti neque principis artes deesse, sicuti Apollo neque piger sit ad citharae nervos neque ad arcum intendendum.[48]) denique conferas imagines huc spectantes A. A. III 106; epist. XVII 181 sq.; ex P. III 4, 34.

[48]) Quo cum loco conferri potest Hor. c. II 10, 18 sqq.

Sed iam longum sane iter emensi finem tandem imponamus huic libello atque eas res, quas dispersas multis locis exposuimus, iam congregatas sub adspectum subiciamus. vidimus igitur Ovidium similitudines quam plurimas exhibuisse in carminibus suis easque undique ex omni natura rerum petitas ita, ut imaginum et numero et varietate ceteros poetas longe superet. quas imagines aut ex poetis, quorum carmina assidua lectione tractavit, desumpsit aut ex vitae communi usu, qua in re diligentissimum eorum, quae in mundo sunt ac fiunt, omnium observatorem sese praebuit. atque inter poetas, quorum vestigia in similitudinibus conscribendis pressit, primum locum obtinent Homerus, Lucretius, Vergilius, ceteros rarissime in usum suum convertit. his igitur pulcherrimas, quibus carmina sua exornavit, debet imagines. neque vero se totum ad eorum, quos imitatus est, composuit exemplum, sed quae ab aliis mutuatus est variavit atque amplificavit ita, ut merito gloriari posset se ea tamquam propria sibi fecisse. saepissime in imaginibus concinnandis poetarum Latinorum morem secutus contaminatione usus est, duobus diversorum poetarum locis in auxilium vocatis. hac igitur in re summum eius ingenium atque summa ars conspicitur. quas autem ex vitae communi usu repetiit imagines, eae plerumque simplicissimae sunt neque tali arte, quali in imitationibus usus est, compositae. atque idem valet de eis, quas ipse excogitavit, imaginibus, in quibus neque magna sollertia inventionis conspicitur neque is ornatus, quo similitudines, quas ex aliis poetis deprompsit, excellunt.

His igitur quam brevissime expositis iam rivulos claudamus atque, ut legentibus facilior sit aditus ad ea, quae hoc libello disputavimus, tres adiungamus indices, unum imaginum Ovidianarum secundum res, quae eis continentur, digestarum, alterum eorum Ovidii locorum, quos praeter modo commemoratos in hac dissertatione tractavimus, tertium denique locorum apud poetas Ovidio aetate superiores extantium, quos ille in imaginibus componendis imitatus esse videtur.

Indices.

I.
Index imaginum Ovidianarum,

quo imagines secundum res, quae eis continentur, enumerantur.

Animalia

universum genus avium:
A. A. I 58 — 136.
II 66 — 167.
Met. VI 717 sq. — 167.
VIII 218 sq. — 167.
XI 24 sq. — 6.
71 sqq. — 5 sq.
Trist. V 2, 26 — 136.
10, 19 — 168.
ex P. II 7, 27 — 136.
Fast. I 494 — 165.
aquila rapax:
Met. II 716 sqq. — 167.
IV 362 sqq. — 8.
714 sqq. — 8.
VI 516 sqq. — 9.
vultur edax:
Trist. I 6, 11 sq. — 167 sq.
accipiter columbas urgens:
Met. V 605 sq. — 10.
columba trepidans:
A. A. I 117 — 10.
Met. I 506 — 10; 157.
VI 529 sq. — 10.
(Trist. I 1, 75 sq. — 10.)
columba manibus tractata:
ex P. III 3, 19 sq. — 168.
hirundo:
ex P. IV 14, 13 — 165.
cycnus lamentans:
Epist. VII 1 sq. — 57.
Met. XIV 429 sq. — 57.
Trist. V 1, 11 sq. — 57.
Fast. II 109 sq. — 57.
plumae cycni:
Epist. XV 250 — 122 n. 29.
Met. XIII 796 — 121; 125.
Trist. IV 8, 1 — 168.
luscinia querens:
Fast. IV 481 sq. — 12.
pavo laudatus:
Met. XIII 802 — 121; 125.
(Med. fac. 33 sq. — 125 sq.)
fera in universum:
Epist. X 1 — 168.
Met. VII 387 — 53 n. 18.
XV 222 — 53.
Fast. II 291 — 53 n. 18.
tigris esuriens:
Met. V 164 sqq. — 12; 168.
VI 636 sq. — 12.
leo saevus:
Met. XI 510 sq. — 13.
XIV 207 sqq. — 14.
Fast. II 209 sq. — 14.
leaena furibunda:
A. A. II 375 — 169.
Met. XIII 547 sq. — 14.
lupus rapax:
Met. XIV 778 sqq. — 15.
Trist I 6, 9 sq. — 16.
IV 1, 79 sq. — 16 sq.
V 7, 46 — 168.
Ib. 43 sq. — 15.
ex P. I 2, 20 — 16.
ursa truculenta:
Met. XIII 803 — 121; 125.
tauri furibundi vel dimicantes:
Met. IX 42 sqq. — 136.
XII 102 sqq. — 139.
XIII 870 sqq. — 139.
(Am. II 25 sq. — 136 sqq.)
taurus (iuvencus, vitulus) immolatus vel transfixus:
Met. II 623 sqq. — 169.
V 120 sqq. — 19.
VIII 762 sqq. — 169.
IX 205 sq. — 169.
XII 248 sq. — 19.
iuvencus saevus vel indomitus vel iugum graviter ferens:

Epist. IV 21 — 160.
IX 29 — 153 sq.
Met. XI 334 sqq. — 18.
XIII 798 — 121; 124.
(Am. I 2, 14 — 161.
A. A. I 19 — 161.
II 184 — 161.
ex P. III 7, 15 sq. — 161 sq.)
iuvenca mugiens vitulo orbata:
Fast. IV 459 sqq. — 169.
equus acer, impetuosus:
Epist. XVII 165 sq. — 60 n. 21.
Met. III 704 sqq. — 60 sq.
Trist. V 9, 29 sq. — 58 sq.
equus ferox, fraena recusans:
Epist. IV 22 — 160.
Am. II 9, 29 sq. — 93; 139 sq.
Trist. I 4, 13 sq. — 140.
V 4, 16 — 140.
ex P. III 9, 26 — 140.
(Am. I 2, 15 — 161.
A. A. I 20 — 161.)
asella rudens:
A. A. III 290 — 170.
aper canibus agitatus:
A. A. II 373 sq. — 18.
Met. IV 722 sq. — 17.
Fast. II 231 sqq. — 18.
canis venaticus:
Met. I 533 sqq. — 60; 141.
Trist. V 9, 27 sq. — 58 sq.
(Met. VII 785 sq. — 142.)
agna tremens:
A. A. I 118 — 16; 170.
Met. I 505 — 157.
V 626 sq. — 16; 170.
VI 527 sq. — 170.
Trist. III 11, 12 — 16; 169.
Fast. II 799 sq. — 16.
cervus canibus actus:
Met. XI 25 sqq. — 170.
XIII 806 — 121; 124; 128.
cerva pavens:
Met. I 505 — 157.
XI 771 sq. — 170.
Trist. III 11, 11 — 169.
damma perterrita:
Fast. III 646 — 170.
lepus timidus:
Met. V 628 sq. — 170.
haedus lascivus:
Met. XIII 791 — 121; 123.
tergum capri bicornis:
Met. XV 304 sq. — 170.
serpens:
Met. VI 558 sqq. — 63 sq.
IX 267 sq. — 65.
Met. XIII 804 — 121; 124.
ex P. III 3, 102 — 170.
(A. A. III 77 — 68.)
formica sedula:
A. A. I 93 sq. — 21.
apes vagantes:
A. A. I 95 sq. — 21.
II 517 — 22.
III 150 — 22.
Trist. V 6, 38 — 21 sq.
Fast. III 555 sq. — 143.
teredo et tinea:
ex P. I 1, 69 sqq. — 170.
aranea eiusque stamina:
Am. I 14, 7 sq. — 20.
Met. IV 176 sqq. — 20.
polypus hostem amplectens:
Met. IV 366 sq. — 19.
piscis:
A. A. I 58 — 165 n. 45.
Trist. IV 1, 56 — 165 n. 45.
V 2, 25 — 165 n. 45.
ex P. II 7, 28 — 165 n. 45.
Fast. I 493 — 165.

Plantae

variae arbores:
Am. I 14, 11 sq. — 171.
Rem. 141 — 166.
Met. XIII 790 — 121; 125.
794 — 121; 125.
799 — 121; 125.
arbor accisa et nutans:
Met. X 371 sqq. — 22 sq.
trabs, robur:
Epist. VII 52 — 171.
Met. III 78 — 170.
Trist. I 6, 5 — 170 sq.
varii fructus:
A. A. II 518 — 144.
III 149 — 144.
Met. VII 584 sqq. — 144.
XIII 795 — 121; 123.
Trist. IV 1, 58 — 144.
ex P. IV 15, 7 sq. — 144.
varii fructus rubentes sive pallentes:
A. A. III 705 sq. — 171.
Met. III 482 sqq. — 157.
IV 330 sqq. — 158.
frondes, folia:
Met. XI 615 — 23.
Ib. 195 — 23.
folia levia, vento mota et cadentia:
Epist. V 109 sq. — 164.
Am. II 16, 45 sq. — 162.
A. A. III 162 — 23; 171.

Met. III 729 sqq. — 163.
ex P. IV 3, 33 — 163.
Fast. III 481 sq. — 163.
folia frigore laesa:
A. A. III 703 sq. — 171.
Trist. III 8, 29 sq. — 171.
Fast. VI 149 sq. — 171.
folium candidum ligustri:
Met. XIII 789 — 121; 125.
rami coalescentes:
Met. IV 373 sqq. — 143.
buxum pallidum:
Met. IV 134 sq. — 171.
XI 417 sq. — 171.
ulmus vitibus vincta:
Epist. V 47 sq. — 116.
(Am. II 16, 41 sq. — 116.)
hederae truncos intexentes:
Met. IV 365 — 117 sq.
virga, vitis, tribulus:
Met. XIII 800 — 121; 125.
803 — 121; 125.
lanugo:
Am. I 14, 23 — 171.
alga inutilis:
Epist. XVII 107 sq. — 126.
(Epist. VII 172 — 126.)
pratum, hortus, cultus ager, lucus:
Met. XIII 790 — 121.
797 — 121.
845 — 133.
ex P. IV 14, 13 — 165.
flores:
A. A. III 185 — 23.
Trist. IV 1, 57 — 23.
Ib. 197 — 23.
flores infracti:
Met. X 190 sqq. — 24.
rosa hesterna, rosa in mensas missa:
Am. III 7, 66 — 172.
Fast. V 360 — 164.
rosae inter lilia:
Am. II 5, 37 — 118 sq.
candida lilia vitro tecta:
Met. IV 354 sq. — 172.
mel dulce:
Trist. V 4, 29 sq. — 171.
cera pallida:
ex P. I 10, 28 — 171.
cera remollescens:
Met. III 487 sq. — 85.
X 283 sqq. — 86 sq.
XV 169 sqq. — 87.
ex P. I 2, 58 — 172.
segetes, aristae aliaeque plantae tremefactae:
Epist. X 139 — 25.
Epist. XI 76 — 25.
XIV 39 sqq. — 25.
Am. I 7, 53 sqq. — 25.
A. A. I 553 sq. — 25.
arista levis solibus usta:
Epist. V 111 sq. — 164.
segetes et aristae:
A. A. I 57 — 145.
Met. XI 614 — 144.
Trist. IV 1, 57 — 144.
ex P. II 7, 25 — 145.
IV 15, 9 — 145.
seges in pingui humo luxurians:
A. A. I 359 sq. — 166.
canna palustris:
Rem. 142 — 166.

Aqua

mare saevum, commotum:
Met. V 5 sqq. — 26.
Fast. II 775 sq. — 26.
maris undae tremulae:
Epist. XI 75 — 25.
Am. I 7, 56 — 25.
Met. IV 135 sq. — 172.
maris sonitus:
Met. XII 50 sq. — 28.
XV 604 sq. — 27.
mare (aequor) surdum aut crudele aut ferox:
Epist. III 133 — 155.
VIII 9 — 155.
XXI 189 — 167 n. 46.
Met. XI 701 sq. — 155.
XIII 804 — 121; 124; 155.
XIV 711 — 155.
mare flumina excipiens neque redundans:
Met. IV 439 sqq. — 73.
VIII 834 sqq. — 73.
amnis violentus:
Am. I 8, 50 — 172.
Met. XIII 801 — 121.
torrens imbribus auctus:
Am. I 7, 43 — 30.
Met. III 79 sq. — 30.
568 sqq. — 30.
Fast. II 219 sqq. — 29 sq.
flumen:
Epist. VIII 62 — 172.
flumen nebulas exhalans:
Met. XIII 602 sq. — 92.
Nilus, Maeander flumina:
Met. I 416 sqq. — 75 sq.
VIII 162 sqq. — 145 sq.
unda fallax (ripam rodens):
A. A. I 619 sq. — 84.
Met. XIII 799 — 121.

unda semper fluens:
A. A. III 62 sqq. — 172.
Met. XV 180 sqq. — 49; 172.
Fast. II 820 — 172.
fons perennis vel obcaecatus:
Am. III 9, 25 — 172.
ex P. IV 2, 17 sqq. — 82.
bitumen, pix manans:
Met. IX 659 sq. — 87.
pix niger:
Epist. XVII 7 — 88.
A. A. II 658 — 175.
Met. XII 402 — 175.
ex P. IV 14, 45 — 175.
(Met. XI 549 — 88.)
liquor (lac) per foramina manans:
Met. XII 434 sqq. — 88.
lac fluens, coactum, candidum:
Epist. XV 249 sq. — 122 n. 29.
Am. III 5, 13 sq. — 122.
Met. XII 434 sqq. — 88.
XIII 796 — 121; 123.
ex P. II 5, 37 sq. — 122 n. 29.
(Fast. IV 151 — 131 n. 32.
780 — 131 n. 32.)

Aura

rabies ventorum:
Epist. XI 9 — 173.
Trist. II 149 sqq. — 33 sq.
ventus per silvam spirans:
Met. XV 603 sq. — 27.
aurae velocitas:
Met. I 502 sq. — 33.
III 209 — 33; 124.
XIII 807 — 33; 121; 124; 128.
aura incerta, ventus mobilis:
Epist. VI 109 — 162.
XVIII 96 — 163.
ex P. IV 3, 33 — 163.

Nubes, nix, imber, grando
aliaque, quae huc pertinent.

Nubes (nebulae):
Met. IV 621 sqq. — 91.
VI 21 — 147.
ex P. IV 7, 24 — 91.
nubes radiis solis tinctae:
Met. III 183 sq. — 98 sq.
imber:
Epist. X 138 — 172.
imber, nix, grando:
Met. IX 220 sqq. — 90.
grando:
Met. V 158 — 31.
Met. XII 480 — 32.
Ib. 200 — 31.
466 — 31.
ex P. IV 7, 34 — 31.
nix candida:
Epist. XV 249 — 33; 122 n. 29.
Am. III 5, 11 sq. — 33; 122.
7, 8 — 33.
Met. II 852 sq. — 33.
VIII 373 — 33.
ex P. II 5, 38 — 33; 122 n. 29.
nix remollescens atque intabescens:
Epist. XIII 52 — 32.
Am. I 7, 58 — 32.
Trist. III 2, 19 sq. — 32.
ex P. I 1, 67 sq. — 33.
II 3, 89 sq. — 32.
nix frigida:
ex P. III 4, 33 sq. — 173.
Alpium frigus:
Met. XIV 794 sq. — 174.
pruina (glacies, unda congelata) intabescens:
Met. II 807 sq. — 86.
III 487 sqq. — 85.
IX 661 sq. — 87.
glacies lucida et fragilis:
A. A. I 374 — 148.
Met. XIII 795 — 121.
glacies frigida:
Epist. I 22 — 173.
X 32 — 173.
Rem. 492 — 173.
ex P. III 4, 33 — 173.
bulla pluvia sive vesica:
Met. X 731 sqq. — 91.
XV 303 sq. — 92.
fulmen:
Met. VIII 339 — 103.
355 — 165 n. 44.
(Met. VI 695 sq. — 103.
XI 435 sq. — 103.)
tonitrus:
Met. XII 51 sq. — 103 sq.
arcus caelestis:
Met. VI 61 sqq. — 101.
(Met. XI 589 sqq. — 102.

Mons, saxa, metalla, lapides
aliaque huius generis.

Mons:
Met. IX 56 — 174.
XI 508 — 174.
XV 508 sq. — 34.
Trist. I 4, 7 — 34.
11, 20 — 34.

Athos, Pindus:
Met. XI 554 sq. — 174.
motus terrarum:
Met. XII 515 sq. — 105.
insula:
Fast. IV 303 — 173.
saxum (scopulus, lapis, moles) constans, durum et immobile:
Epist. X 50 — 175.
XXI 189 — 167 n. 46.
Am. I 7, 52 — 174 sq.
Rem. 691 sq. — 35.
Met. IX 39 sqq. — 35.
XI 330 sq. — 155.
XIII 540 sq. — 151.
801 — 121; 124; 155.
XIV 713 — 151.
Trist. III 10, 47 — 173.
murus, cautes solida:
Met. XII 124 — 174.
saxa (scopuli) guttis aquae cavata:
ex P. I 1, 70 — 72.
II 7, 39 sq. — 71.
(A. A. I 475 sq. — 70 sq.
ex P. IV 10, 5 — 71.)
harena:
A. A. I 254 — 36.
Trist. I 5, 48 — 36; 121.
IV 1, 55 — 36.
V 1, 31 — 36.
6, 43 — 36.
Ib. 419 sq. — 175.
harena sicca:
Met. III 660 sq. — 173.
concha levis:
A. A. II 519 — 174.
Met. XI 615 — 174.
XIII 792 — 121.
Trist. V 2, 23 — 174.
ostrum Tyrium:
Met. X 211 sq. — 175.
vitrum, gemma, adamas:
Epist. II 137 — 152.
XXI 157 — 167 n. 46.
Met. II 856 — 175.
XIII 791 — 121; 123.
ferrum durum sive robigine laesum:
Epist. II 137 — 152.
Met. XIV 712 — 151.
ex P. I 1, 71 — 148.
aurum pretiosum sive fulvum:
Met. VIII 79 — 175.
XIII 813 — 175.
Trist. I 5, 25 — 175.

Sidera

sol e nubibus emergens:
Met. V 570 sq. — 36.
XIV 768 sq. — 36.
sol refulgens:
A. A. II 721 sq. — 94.
Met. IV 347 sqq. — 94.
soles hiberni:
Met. XIII 793 — 121; 125.
lumen oculos attrahens vel obtundens:
Trist. II 325 sq. — 95.
ex P. III 4, 49 sq. — 95.
umbra:
Met. XIII 793 — 121.
Trist. I 9, 11 sq. — 96.
luna rubens:
Am. II 5, 38 — 158 sq.
Met. IV 332 sq. — 158.
lunae splendor:
Met. IX 783 sq. — 173.
cornua lunae:
Met. III 681 sq. — 173.
Lucifer:
ex P. II 5, 49 sq. — 36.
sidera:
Am. III 3, 9 — 164.
Epist. XIX 55 sq. — 164.
A. A. I 59 — 164 n. 43.
Met. I 498 sq. — 164.
Trist. I 5, 47 — 121.
IV 10, 107 sq. — 164 n. 43.
sol, Lucifer et reliqua astra:
Epist. XVII 71 sq. — 96 sq.
Met. II 722 sq. — 96.
anguis sidus:
Met. III 43 sqq. — 152.
stella cadens:
Met. II 319 sqq. — 97.
Aurora purpurea:
Am. II 5, 35 sq. — 118 sq.
Met. III 184 — 98 sq.
VI 46 sqq. — 100 sq.
dies:
Epist. XXI 124 — 167 n. 46.

Ignis

incendium segetis, aristarum, saepis:
Epist. XXI 9 sq. — 167 n. 46.
Met. I 492 sqq. — 107.
VI 455 sqq. — 108.
XII 274 sq. — 108.
taedarum ignis:
Epist. VII 23 — 106 sq.
XII 33 sq. — 107.
Met. III 373 sq. — 106.

ignis paene extinctus iterum reviviscens:
A. A. II 439 sqq. — 109.
Rem. 731 sq. — 109.
Met. VII 79 sqq. — 109 sq.
Trist. IV 5, 4 — 109.
ignis vorax, rapidus, e fornace profunda erumpens:
Epist. XXI 12 — 166 n. 46.
Met. II 228 sqq. — 111.
VII 104 sqq. — 112.
VIII 837 sqq. — 73 sq.; 110.
XIII 802 — 121.
XIV 795 — 174.
ignis fumosus:
Epist. VII 24 — 107.
A. A. III 573 sq. — 174.

Quae ad homines eorumque res et vitam pertinent.

Vitae humanae aetates:
Met. XV 199 sqq. — 177.
infans:
Met. VII 125 sqq. — 177.
puella erubescens:
Am. II 5, 36 — 158 sq.
mater:
Epist. XXI 115 sq. — 167 n. 46.
Met. I 420 — 78.
Fast. II 813 sq. — 178.
membra et partes corporis humani:
Met. I 555 — 177.
567 — 177.
III 241 — 177 sq.
vena:
ex P. I 3, 10 — 114.
varii affectus humani:
Met. I 708 — 177.
II 360 — 177.
501 — 177.
III 240 — 177.
X 508 — 177.
XI 12 — 177,
734 — 177.
XV 466 — 177.
varia morborum genera:
Am. II 19, 25 sq. — 156.
Met. II 825 sqq. — 177.
Fast. I 211 sqq. — 156.
famuli:
Epist. XIX 77 sq. — 178.
viator incertus in itinere, anguem pede premens:
A. A. II 376 — 43; 124.
Fast. II 341 sq. — 42 sq.; 124.
V 3 sq. — 178.
via trita:
Epist. XVII 133 sq. — 71.
ex P. II 7, 44 — 71.
vomer attenuatus:
ex P. II 7, 43 — 71.
(A. A. I 474 — 70 sq.
ex P. IV 10, 6 — 71.)
ebur tinctum:
Am. II 5, 39 sq. — 38.
Met. IV 332 — 38.
velum:
Am. I 14, 6 — 177.
Met. V 389 — 177.
X 594 sq. — 120.
theatrum:
Met. III 111 sqq. — 177.
685 — 177.
tympanum:
Met. XII 481 — 170.
fistula rustica:
Met. VIII 190 sqq. — 160.
fistula plumbea:
Met. IV 122 sqq. — 155 sq.
varia artis opera:
Met. I 405 sq. — 175.
III 419 — 175.
IV 354 sq. — 172.
675 — 175.
X 515 sq. — 176.
ferrum fervescens:
Met. IX 170 sq. — 38.
XII 276 sqq. — 39.
forceps:
Met. IX 78 — 177.
naves et quae ad navigandi artem pertinent:
Am. II 4, 7 sq. — 146.
9, 31 sq. — 93; 140 sq.; 176.
10, 9 — 176.
Met. II 163 sq. — 147.
184 sqq. — 39.
IV 706 sq. — 176.
VI 231 sqq. — 39.
VIII 470 sqq. — 176.
XIII 366 sq. — 176.
Trist. II 18 — 176.
ex P. II 3, 21 sq. — 146 sq.
res militares (urbis oppugnatio):
Met. XI 525 sqq. — 40.
533 sq. — 40.
553 — 40.
XII 225 — 165.
Trist. I 3, 26 — 165.
exercitus, dux, miles, gladiator:
Epist. XV 365 sq. — 152.
Met. XIII 367 — 176.

Trist. II 17 — 176.
Ib. 47 sq. — 176.
ex P. III 4, 31 sq. — 176.
ballista, aries:
Met. XI 508 sq. — 176.
Trist. I 2, 48 — 176.
saxa aliaque tela tormentis iacta:
Met. VIII 357 sqq. — 176.
IX 218 — 148; 176.
XIV 183 — 149.
funda, glans, calamus, sagitta:
Met. II 727 sqq. — 113.
IV 518 — 176.
709 sq. — 42.
VII 776 sqq. — 150.
VIII 695 sq. — 42.
X 588 sq. — 150.
XIV 824 sqq. — 114.
Fast. III 583 sq. — 42.
hastile, cuspis, clipeus:
Met. VI 673 — 176.
VIII 285 — 176.
XIII 851 sq. — 134 sq.

Dii, heroes, res fabulosae vel ex historiae fide depromptae.

Dii:
Met. VI 182 — 179.
Trist. V 8, 29 — 179.
Iuppiter:
Fast. II 131 sq. — 179.
(Trist. II 33 sqq. — 179.
215 sqq. — 179.)
Apollo:
ex P. IV 8, 75 sq. — 179.
Bacchus eiusque cultus:
Epist. IV 47 sq. — 179.
X 48 — 179.
XIII 33 sq. — 179.
Am. I 14, 21 sq. — 179.
14, 32 — 179.
A. A. I 312 — 179.
III 710 — 179.
Rem. 593 sq. — 179.
Met. VII 258 — 179.
Met. IX 641 sqq. — 179.
Trist. IV 1, 41 sq. — 179.
Fast. IV 457 sq. — 179.
Pallas:
Trist. III 14, 13 — 179.
Latona:
ex P. IV 14, 57 sq. — 179.
Diana:
A. A. III 143 — 179.
Met. I 695 — 179.
IX 89 — 179.
X 536 — 179.
Idalia dea:
A. A. III 106 — 179.
Naiades Dryades:
Met. VI 452 sqq. — 179.
Proteus:
A. A. I 760 sqq. — 157.
Tityi iecur:
ex P. I 2, 41 sq. — 179.
Gorgo:
A. A. II 309 — 179.
III 504 — 179.
Hercules:
Met. XV 231 — 179.
ex P. IV 13, 11 — 179.
Tantalus:
Epist. XVII 181 sq. — 179.
Pegasus:
ex P. IV 7, 51 sq. — 169.
varii viri fabulosi vel illustres:
Am. II 6, 15 sq. — 178.
Trist. I 1, 100 — 178.
7, 17 sq. — 178.
II 19 sq. — 178.
ex P. I 3, 5 sq. — 178.
III 9, 23 sq. — 178.
IV 1, 29 sqq. — 179.
15, 14 sqq. — 179.
genus humanum Caesaris morte perculsum:
Met. I 200 sqq. — 177.
exilium Ovidii:
ex P. III 4, 34 — 179.

II.

Index locorum Ovidianorum,

quos praeter modo commemoratos in hac dissertatione tractavimus.

Epist. XX 215 sqq. — 159.
Am. I 2, 13 sqq. — 161.
8, 61 — 5 n. 13; 56 n. 19.
15, 23 sq. — 43 sq.
15, 27 sqq. — 116.
II 16, 44 — 119; 164.
18, 26 — 166 n. 46.
III 9, 25 sq. — 5 n. 13.
9, 61 sqq. — 116.
10, 7 sqq. — 55.
15, 7 sqq. — 116.
A. A. I 19 sqq. — 161.
473 sqq. — 71.
II 183 sq. — 161.
277 sqq. — 56 n. 19.
279 sq. — 5 n. 13.
621 sqq. — 56.
III 77 sq. — 68.
249 sq. — 134.
333 sqq. — 116.
413 sq. — 5 n. 13.
536 sqq. — 116.
77 sq. — 68.
Rem. 365 sq. — 5 n. 13.
369 sq. — 56 n. 19.
395 sqq. — 116.
763 sqq. — 116.
Med. fac. 41 sq. — 158 n. 40.
89 — 89.
Met. I 89 sqq. — 55.
94 sqq. — 56.
101 sq. — 54.
103 sqq. — 54.
Met. I 119 sqq. — 53.
132 sqq. — 56.
III 420 — 164.
VII 387 — 53 n. 18.
528 sqq. — 111.
XIII 762—788 — 127 sq.
806—869 — 128 sqq.
XV 66 sqq. — 46 sqq.; 51 sq.
179 sqq. — 49.
222 — 53.
239 sqq. — 49.
Trist. I 1, 47 sq. — 5 n. 13.
6, 21 sq. — 5 n. 13.
II 425 sq. — 44; 113.
447 sqq. — 116.
533 sq. — 116.
IV 10, 45 sq. — 116.
10, 51 sqq. — 116.
V 2, 27 sq. — 145.
6, 43 sq. — 145.
ex P. III 7, 15 sq. — 153.
9, 23 sq. — 5 n. 13.
IV 2, 21 sq. — 5 n. 13.
10, 5 sq. — 71.
Fast. I 295 sqq. — 44.
299 sq. — 45.
301 sqq. — 45.
309 sq. — 46.
II 119 sq. — 5 n. 13.
291 — 53 n. 18.
IV 395 sqq. — 55.
V 359 sq. — 164.
VI 417 sqq. — 5 n. 12.

III.

Index locorum,

quos Ovidius in similitudinibus suis componendis imitatus esse videtur aut quorum omnino in hac dissertatione mentio fit.

Poetae Graeci.

Aeschylus.

Sept. 391 sqq. — 61.
461 sqq. — 61.
Prom. 242 — 150.
Agam. 1444 sq. — 56 n. 20.

Apollonius Rhodius.

Arg. I 239 sq. — 36.
879 sqq. — 20.
1003 sqq. — 22.
1026 sqq. — 108.
1049 sq. — 11.
1265 sqq. — 18.
II 41 sqq. — 37.
70 sqq. — 41.
88 sq. — 138 sq.
130 sqq. — 21.
169 — 34.
278 sqq. — 60; 142.
602 — 149.
1085 sqq. — 30 sq.
III 140 sq. — 98.
276 sq. — 18.
291 sqq. — 110.
540 sqq. — 11.
754 sqq. — 94 sq.
957 sqq. — 37.
1258 sqq. — 62.
1292 sqq. — 35.
1298 sqq. — 112.
1350 sqq. — 17.
1376 sqq. — 98.
1398 sqq. — 28.
IV 125 sq. — 99.
139 sqq. — 111.
214 sqq. — 145.
216 — 23.
975 sq. — 122 n. 29.
1450 sq. — 21.
1539 sqq. — 69 n. 23.
1612 sqq. — 173 sq.
1680 sqq. — 22.

Euripides.

Med. 28 sq. — 154.
1213 — 118.
1279 sqq. — 150.
Hipp. 304 — 154.
Andr. 337 sq. — 154.
Hec. 398 — 118.
Herc. f. 691 sq. — 56 n. 20.
Electr. 151 — 56 n. 20.
Iph. Taur. 1104 — 56 n. 20.
Bacch. 957 sq. — 6.
Cycl. 320 sqq. — 133.
Frg. 32 — 56 n. 20.
775 — 56 n. 20.
1034 — 165.

Homerus.

Il. β 87 sqq. — 20.
144 sqq. — 25.
147 sq. — 25.
394 sqq. — 26.
468 — 23.
800 — 23.
γ 33 sqq. — 42; 124.
δ 75 sqq. — 98.
141 sqq. — 37.
277 sq. — 88; 175 n. 47.
422 sqq. — 26; 145.
471 sq. — 16.
482 sqq. — 22.
ε 6 sq. — 37.
87 sqq. — 28.
554 sq. — 14.
ζ 506 sqq. — 61 sq.
η 63 sq. — 25.
θ 306 sqq. — 23.
555 sqq. — 97.
ι 385 — 36.
κ 436 sq. — 33; 124.
437 — 123 n. 29; 124.
485 sq. — 16.
λ 27 sq. — 102.
62 sqq. — 36.
72 sq. — 16.

Il. λ 155 sqq. — 111.
324 sq. — 17.
414 sqq. — 17.
492 sqq. — 28.
μ 41 sqq. — 13; 17.
146 sqq. — 18.
156 sqq. — 30.
200 sqq. — 7.
278 sqq. — 30.
299 sqq. — 13.
ν 62 sqq. — 10.
198 sqq. — 12; 17.
471 sqq. — 17.
ξ 394 sq. — 27; 145.
396 sq. — 27; 108.
398 sq. — 27.
ο 237 sq. — 10.
263 sqq. — 62.
271 sq. — 124.
358 sq. — 42.
381 sqq. — 26; 40 sq.
618 sqq. — 34.
624 sqq. — 41.
π 34 sq. — 155 n. 37.
352 sqq. — 14; 16.
482 sqq. — 22.
582 sq. — 9.
589 sqq. — 42.
765 sqq. — 34 n. 15.
ρ 263 sqq. — 26.
520 sqq. — 19: 169.
547 sqq. — 102.
674 sqq. — 8.
755 sqq. — 7.
σ 318 sqq. — 14; 169.
τ 398 sqq. — 36 n. 16.
υ 164 sqq. — 13.
490 sqq. — 111.
φ 493 sq. — 11.
χ 26 sqq. — 37.
93 sqq. — 69 n. 23.
139 sqq. — 9.
189 sqq. — 60; 124; 142 sq.
262 sqq. — 15.
308 sqq. — 8.
317 sq. — 37.
ψ 222 sqq. — 178.
431 sq. — 41.
Od. γ 290 — 34.
δ 707 sqq. — 39 sq.
ε 432 sqq. — 19.
488 sqq. — 110.
θ 279 sqq. — 19 sq.
ι 51 — 23.
246 sqq. — 131.
275 sq. — 133.
292 sq. — 14.
Od. ι 296 sq. — 14.
391 sqq. — 38.
507 sqq. — 128.
ν 81 sqq. — 39.
ο 525 sqq. — 10; 11.
π 216 sqq. — 12.
τ 205 sq. — 32.
518 sqq. — 11.
υ 242 sqq. — 11.
χ 299 sqq. — 18.
468 sqq. — 6.

Sophocles.

Ant. 826 sq. — 118.
Frg. 395 — 6.
783 — 118.

Theocritus.

Idyll. II 23 sqq. — 108.
28 sq. — 86 n. 25.
III 22 — 130.
32 sq. — 135.
34 — 130.
IV 28 — 128 n. 31.
V 105 — 130.
VI 15 sq. — 125.
23 — 128.
34 sqq. — 127; 133.
VII 76 sq. — 86 n. 25.
119 — 135.
VIII 23 — 128 n. 31.
57 sqq. — 166.
XI 11 sqq. — 127.
17 sq. — 128.
19 sqq. — 122 sqq.
24 — 128.
29 — 135.
33 — 134 sq.
34 sqq. — 130.
40 sq. — 131.
41 — 125.
42 — 129; 132.
45 sqq. — 129.
50 sqq. — 134.
63 sq. — 132.
XII 15 — 154.
XIII 50 — 98.
61 sqq. — 168.
XVIII 26 sqq. — 99.
29 sqq. — 166.
XX 21 sqq. — 134.
26 — 123.
XXI 44 sq. — 60.
XXX 29 sq. — 154.

Poetae Latini.

Catullus.

Carm. VII 3 — 36.
3 sqq. — 121.
XI 21 sqq. — 24.
XLVIII 5 sqq. — 145.
LXI 31 sqq. — 118.
87 sqq. — 120.
102 sqq. — 117.
202 — 36.
202 sqq. — 121.
LXII 39 sqq. — 24.
49 sqq. — 117.
LXIV 269 sqq. — 28.
307 sq. — 120.
LXV 12 sqq. — 11.
LXVIII 124 — 168.
151 — 148 n. 34.
LXXX 2 — 33; 122 n. 29.
LXXXI 4 — 171.

Ennius.

Fragm. 160 V. — 40.
287 — 31.
288 — 31.
344 — 60; 142.
393 — 102.
431 — 31.
433 — 34 n. 15.
503 — 62.
Trag. 66 sq. R. — 151.

Horatius.

Carm. I 33, 10 sqq. — 154.
33, 14 sqq. — 155.
36, 21 — 118.
37, 17 sq. — 10.
II 2, 13 sqq. — 156.
5, 1 sqq. — 154.
10, 18 sqq. — 179 n. 48.
15, 4 sq. — 117.
20, 9 sqq. — 168.
III 7, 21 sq. — 154 sq.
13, 1 — 123.
17, 10 sq. — 126.
IV 14, 20 sqq. — 29.
Epod. 2, 46 — 131.
4, 1 sq. — 15.
12, 25 sq. — 157.
17, 53 sqq. — 155.
Sat. I 1, 110 — 131.
7, 26 sq. — 29.
II 2, 75 sqq. — 156.
3, 71 sqq. — 157.
Epist. I 1, 90 — 157 n. 38.
10, 20 sq. — 156.
16, 3 — 117.

Lucretius.

I 259 — 131.
281 sqq. — 28 sq.
312 sqq. — 69 sq.
326 sq. — 72.
397 sqq. — 111.
II 206 sqq. — 97.
213 sqq. — 103.
263 sqq. — 59; 141.
391 sqq. — 89.
592 sq. — 112.
677 — 80.
833 — 80.
865 sqq. — 76 sqq
928 sqq. — 77 sqq.
III 476 sqq. — 114.
482 sq. — 115.
502 sqq. — 115.
612 sqq. — 64 sqq.
657 sqq. — 63.
1042 sqq. — 97.
IV 60 sqq. — 64 sq.
209 sqq. — 95.
269 sqq. — 95.
299 sqq. — 95.
312 sqq. — 96.
364 sqq. — 96.
545 sq. — 57.
892 sqq. — 93.
925 sqq. — 109.
987 sqq. — 59.
1030 sqq. — 93.
1265 — 53 n. 18.
1286 sq. — 70.
V 92 sqq. — 44.
105 — 105.
251 sqq. — 84.
397 sqq. — 112.
416 sqq. — 51.
460 sqq. — 92.
509 sq. — 45.
608 sq. — 108.
656 sq. — 99 sq.
780 sq. — 54.
788 sqq. — 77 sqq.
797 sq. — 78.
805 sqq. — 77 sqq.
818 — 54.
826 sq. — 78.
932 — 52 sq.
933 sqq. — 54.
939 sqq. — 54.
955 sqq. — 53.
958 sqq. — 55 sq.
1000 sqq. — 56.

Lucret. V 1073 sqq. — 61.
1112 sqq. — 56 n. 19.
1125 sq. — 56 n. 19.
1131 sq. — 56 n. 19.
1183 sqq. — 46.
1316 sq. — 94.
1442 sqq. — 56.
VI 96 sqq. — 104.
107 — 90.
129 sqq. — 91 sq.
135 sq. — 27.
142 sqq. — 27; 105.
148 sq. — 38.
157 sqq. — 90.
160 sqq. — 104.
176 sqq. — 114.
189 sqq. — 90.
204 sqq. — 99.
256 sqq. — 88.
306 sqq. — 114.
513 sqq. — 85.
524 sqq. — 100 sq.
527 sqq. — 90.
529 sq. — 86.
535 sqq. — 105.
589 — 105.
608 sqq. — 72; 74.
639 sqq. — 74; 110.
680 sqq. — 111 sq.
712 sqq. — 80.
806 sq. — 88.
lacuna inter v. 839 sq. — 80 sqq.
877 sq. — 88.
879 sqq. — 106.
895 sqq. — 106.
962 sqq. — 85.
966 sqq. — 38 n. 17.
1030 sqq. — 93.
1168 sqq. — 111.

Propertius.

Lib. I 16, 29 sq. B. — 151.
II 3, 9 sqq. — 119.
3, 12 sqq. — 163; 164.
4, 3 sqq. — 124; 160 sq.
5, 11 sqq. — 162.
9, 33 sqq. — 162.
15, 51 sqq. — 163.
25, 15 sq. — 70; 148.
28, 8 — 162 n. 42.
34b, 47 sqq. — 161.
IV 5, 19 sq. — 84.
8, 55 sq. — 164 sq.

Tibullus.

Lib. I 1, 7 sq. — 157.
3, 41 sq. — 161.
Lib. I 4, 16 — 161 n. 41.
4, 31 sq. — 60 n. 21.
4, 35 sq. — 65.
8, 21 sq. — 158.
II 5, 29 sqq. — 160.
III 4, 29 sqq. — 119; 158.
5, 19 sq. — 157.

Vergilius.

Ecl. II 1 — 112.
7 — 135.
18 — 125.
20 — 131.
22 — 131.
25 sq. — 133.
25 sqq. — 127 sq.
36 sq. — 128; 129; 160.
40 sqq. — 132.
42 — 130.
III 80 sq. — 166.
IV 21 — 131.
V 32 sqq. — 166.
VI 63 — 125.
VII 37 sq. — 122.
38 — 123 n. 29; 125.
41 sq. — 122.
42 — 126.
61 sqq. — 125.
65 sqq. — 166.
VIII 80 sq. — 86 n. 25.
81 — 112.
IX 31 — 131.
Georg. I 102 sq. — 145.
199 sqq. — 146.
244 sqq. — 146; 152.
397 — 147.
449 — 32.
451 sqq. — 101.
512 sqq. — 140.
II 32 sq. — 143.
220 — 148.
481 sq. — 125.
III 83 sqq. — 61.
196 sq. — 38.
215 — 112.
220 sqq. — 138.
224 sqq. — 139.
250 sqq. — 140.
396 — 131.
416 sqq. — 170.
437 sqq. — 65.
IV 80 — 31.
80 sq. — 144.
96 sqq. — 178.
172 sq. — 38 n. 17.
194 sqq. — 147.
210 sqq. — 143.

Geórg. IV 261 sqq. — 27.
312 sq. — 31.
345 sqq. — 20.
361 — 34.
473 sq. — 7; 136.
511 sqq. — 11.
Aen. I 42 — 103.
105 — 34.
430 sqq. — 21; 143.
II 25 sqq. — 127 sq.
305 sqq. — 29.
355 sqq. — 15.
378 sqq. — 42.
416 sqq. — 34 n. 15.
471 sqq. — 65; 69 n. 23.
496 sqq. — 29.
516 — 11.
626 sqq. — 22.
794 — 33.
III 199 — 103.
635 sqq. — 135.
IV 68 — 112.
101 — 112.
209 — 103.
402 sqq. — 21.
441 — 125.
V 88 sq. — 101 sq.
144 sqq. — 39; 141.
213 sqq. — 11.
242 — 33.
242 sq. — 150.
250 sq. — 146.
273 sqq. — 63; 69 n 23.
458 sqq. — 32.
527 sq. — 98.
609 sq. — 101.
657 sq. — 101.
VI 469 sqq. — 151.
702 — 33.
Aen. VI 707 sqq. — 21.
VII 502 — 178.
528 sqq — 26.
586 sqq. — 35.
706 sq. — 152 sq.
718 sqq. — 144.
VIII 22 sqq. — 94.
223 — 33.
589 sqq. — 36 sq.
622 sq. — 99; 102.
IX 59 sq. — 16.
435 sqq. — 24.
551 sqq. — 13.
563 sq. — 8.
565 sq. — 17.
668 sqq. — 31.
X 97 sqq. — 27.
247 sq. — 149.
356 sqq. — 34 n. 15.
603 sq. — 29.
693 sqq. — 35.
707 sqq. — 17.
763 sqq. — 152.
XI 68 sqq. — 24.
492 sqq. — 62.
611 sq. — 31.
616 sq. — 149.
721 sqq. — 10.
751 sqq. — 7.
XII 67 sqq. — 37; 119.
101 sqq. — 139.
523 sqq. — 29.
587 sqq. — 21.
715 sqq. — 138.
740 sq. — 148.
749 sqq. — 60; 141 sq.
855 sqq. — 150.
921 sqq. — 149.